



BIBLIOTEKA


Zakł. Nar. im. Ossolińskich

XVII

772







(x)

FRANCISCI AMELRI,
D E L I C I A-
R V M S P I R I T V.

ALIVM LI

Conuersus BELLVS. *Cracoviæ*
SIVE DE AMANTE A-
nima deuotissimus dialogus.

1637
E FLANDRICO JDIOMATE,
IAM PRIDEM IN LATINV M CON-
uersus, nunc verò in gratiam piorum ho-
minum, ex suo Archetypo fide-
liter recussus, & à mendis qui-
busdam repurgatus.

*



CRACOVIAÆ.

In Officina Nicolaj Lobij, Año Dñi.

1608.



*Spina rosas olim pupugit truculenta; sed oline
Insula nunc illas molli circumpletebitur umbra.*

XVII - 772 - II

382

Illustriss. & Reuerendiss. Domino.

D. MATHIÆ DE BV-
ZENINO PSTROKONSKI,
EPISCOPO PRÆMISLIENSI,
Præposito Miechouien. & Regni Poloniae
Cancellario, &c. &c. Domino & Pa-
trono suo obseruandis-
simo.

STANISLAVS GROCHOVVSKI,
Crusluicen. Custos. S. P. D.

VM effem seris paschalibus Miechouiae,
audiui ab anagnoste, dum mensæ Celsitu-
dinis Vestrae accumberem, Dialogum
inter Amantem Animā, & Nutricem
Pædagogam, & audiui sanè libentissime. Non so-
lum autem ego, sed & omnes coniuiae Cels. Vestrae,
quorum animos scitamentis illis vnicè, & mirifi-
cè reficiebas. Egi itaq; cum Cels. Vestra è vestigio,
vt, bona cum ipsis venia, liceret mihi homini seni,
& ad ultimas senectæ metas venienti inserere,
etiam hanc arbusculam, in Sarmaticum nostrum
solum, Typisq; nostris recudere scriptorem hunc, ne
tantum inter eos, quibuscum natus est legeretur.
Egi tanquam cum Episcopo, quem Apostolus de-
bitorem vocat sapientibus & insipientibus; &
vult attendere lectioni, exhortationi, doctrinæ, ad
prædicandum, argendum, obsecrandum, incre-

Rom. 1.

1. Tim.

4.

pandum. Sed vix vaum verbum, ea de re professo, cum Cels. Vestrā, & consilio, & re currentem incitat, & ut salutari hoc latice siticulosa nostra Polonia irrigaretur strenue iuuat. Quod studium Cels. Vestrā, postquam ego vidi, dici non potest, quantopere gauisus fuerim. Sciebam enim talem esse debere Episcoporum occupationem, qualem Paulus in Actis ostendit, ut nihil subtrahant utilium, quominus anuntient omnibus, & doceant publicè, & per domos: sciebam Episcopos immittatores esse debere Dei; qui apud Isaiam vocat se Dominum docentem utilia. Quid autem doctu utilius charitatis doctrina? ascensiū in quam illo purpureo, quo ascenditur ad fereculum pacifici æterni, Salomonis? Legimus in Historiis veterum, Heliодorum Tricensim in Thessalia Episcopum, à Synodo provinciali exautoratum, quod amatorios libellos à se compositos, & iuuenium noxios moribus igne consumtos nollet abolere; & apud Gregorium Magnum fulmina illa, quæ promit in Desiderium Episcopum Galliarum, quod Grammaticam doceret, nugas ac secularibus litteris studeret. At in Cels. Vestrā, integerrime & optime presul, Polonia nostra simile quid nunquam reperiet (etiam si Diogenis lucernam accendat) cuius vita seria, lectio seria, otium in negotio, mensa in sapientia calesti. Licet enim libellus iste amorem spiret, amor tamen iste nemini scandalo est, nemini offendiculo. O vtinam omnes vulnerentur ista charitate, om-

nes lano

Aet. 20.

Isai. 48.
17. Can.

Nice-
phor. 8c
Histor.
c. 34.

Georg.
lib. 4.
Epistol.

48.

nes languent, omnes deficiant, & nihil aliud cogitent loquanturq; nisi Dominum Iesum, amorem suum crucifixum: minora mala orbis iste noster Sarmaticus aspiceret: & facilius ab ipsis naufragis Reipub. que toties cum summo dolore nostro aspicimus, liberaremur. Nunc sedissimis, & spuriissimis voluptatibus morem gerimus, ambitioni, scilicet & auaritia, & iam perimus, nisi de alto nobis succurritur. Eamus pro virili nostra contrà, & arma militiae nostrae, non carnalia, sed spiritualia sumentes, militemus in illis bonam militiam, ut in die illo repositam nobis capiamus coronam, quam reddit nobis iustus Index.
¶ agonethetes noster Christus

I E S U S.



PROLOGVS.

Interpretis eiusdē libelli Antonij Hemertij, Canonici Regularis prope Endouiam.

Ad candidos lectores.

 Vum mundi huius visibilis fabri-
cam omnibus numeris suis absolu-
uisset architectus Deus , quū cœ-
los , terras , maria & quicquid his
continetur , ex nihilo produxisset , vt egre-
gium aliquod adhuc sapientiæ suæ specimen
exhiberet , microcosmon hominem creare
instituit , secundum corpus quidem terrenis
brutisq; animantibus non omnino futurum
dissimilem : at verò secundum animā non
cœlis tantum, sed ipsis adeò cœlestibus spiri-
tibus vel parem, vel certe haud multò inferi-
orē. Nil enim habet vniuersa hæc mündi ma-
china , quod humanæ animæ digne conferri
queat, non aurū, non argentum, non ignem,
non solem etiam ipsum, qui iubare suo splé-
didissimo totum lœtificat orbem : quonia ea
omnia & verbo dumtaxat creatalunt, & hu-
manis usibus perpetuo iussa deseruiunt.
Quod si non aliunde , certè vel ex ipsius ho-
minis mirabili conditione perspicuū esse po-
test. Quum enim reliqua omnia solo verbo

suo

PROLOGVS.

Iuo exnihilo produxit Deus , dicente Da-
uide. Ipse dixit & facta sunt , ipse mandauit
& creata sunt : ad hominis creationem solici-
te nimis atq; consultò, quasi rem arduam ag-
gressurus vniuersitatis conditor accedit. Non
verbo dumtaxat ait : Fiat homo & factus est
homo , sed primò materiam constructioni
eius necessariam præparat : deinde inspirans
ei spiraculū vitę ad formam primę ac prin-
cipalis pulchritudinis, eius coaptat similitu-
dinem. Faciamus inquit hominem ad imagi-
nem & similitudinem nostrā. Quam ob cau-
sam? vt dominetur inquit piscibus maris, vo-
latilibus cœli, & bestiis terræ. Sic homo non
dum creatus vniuersorum declaratur Do-
minus, vt antea creatis rebus omnibus, in mu-
dum ceu regiam suam iam probè exornatā
introducatur. Id autem non aliā ob causam
nisi ob acceptam Diuinę triadis similitudi-
nem , qua sola rebus creatis iam immensum
antecellit , vt meritò Deus quispiā terrenus
sit æstimandus. Hanc verò Dei similitudinē,
non in corpore, sed in animo gestat. Deus e-
nim incorporeus quum sit, spiritusq; corpora
imagine effigiari non potest. Intus igitur
in animi viribus est, vnde tantam sortitus sit
homo dignitatem, nimirum in memoria, in-
tellectu, voluntate, in quibus velut in imagi-
ne thronoq; suo presens semper residēs De-

PROLOGVS.

us animæ aliquanto vicinior est , quam ipsa sibi . Pater omnipotens sua memoriam replet , filius sapientia sua intellectu illuminat , Spiritus sanctus charitate sua voluntate inflamat . Et sicut Deus pater , Deus filius , Deus spiritus sanctus est , non tamen tres Dei sunt , sed unus Deus , tres habens personas : ita anima memoria , anima intellectus , anima voluntas , non tamen tres sunt animæ in uno corpore , sed una anima , tres habens dignitates , & in his tribus Dei imaginem , & similitudinem mirabiliter gerens . Hanc Dei imaginem nostra peccata deturpare quidem posflunt , delere non possunt . Immota quippe semper in nobis Dei manet imago , in piis pariter atque impiis hominibus tametsi diuersa ratione . Nam pij limpidissima Dei sunt imago , impij verò & ipsi quidem imago quædam Dei sunt , sed obscura ac defœdata . Tam fortiter etiam , tamquæ amanter (quam semel sua insigniuit imagine) humanam animam veluti sponsam suam complectitur Deus , vt nulla eius peruersitate , nullo inde pacto deturbari queat . Porro ipsa ad Deum sponsum suum cuius imaginem refert , tanto vicissim studio nititur ac tendit , vt nihil eam in hoc mundo explere , nihil exaturare valeat , nisi solus creator D E V S , summe bonus , incircunscriptus , immensus . O verè

præ-

PROLOGVS.

præstantem istam animæ dignitatem, quam vniuersæ huius mundi illecebræ afficiunt quidem, sed non reficiunt, quam cunctæ voluptates irritant potius quam exiant, quām omnes creaturarum blanditiæ esurientem sitientemque derelinquent, cuius inexplebili capacitate totus terrarum orbis angustus est, cui autem solus creator sponsus suus perpetuam consolationem, perfectam requiem & gaudium nullo felle tintatum præstare potest. Quicquid enim præter creatorem suum anima in se recipit, quicquid præter sponsum amplectitur, seductorium est vanum est, plusque alces quam mellis semper habet.

Porrò vt de reliquis animæ potentiis sileam, quis mirabilem corporis compositionem sermone vlo enarrare sufficiat? Quis referat quomodo prudentissimus creator duas hasce naturas (corpus inquam & animam) sibi per omnia contrarias, tanta necessitudine, tantoque fœdere coniunxit, vt diuelli ab inuicem sine maximo dolore non possint? Postremò erectus iste corporis status à terris ad cœlestia tendens, non parvam præfert hominis dignitatem. Hoc enim præ reliquis animantibus singulare à Deo munus accepit, vt oculis cælum semper suspicentibus nil præter cœlestia medi-

PROLOGVS.

tetur: terram autem, hoc est terrena omnia ex alto despiciens, pedibus præmeret, nihil humile, nihil sordidum mente veraret. Et talis quidem ante lapsum hominis status fuit. Nam voluntatis siue rationis imperio sensus omnes, affectusque & vires circa ullam rebellionem sponte se submittebant. Ratio vero creatori soli parebat. Hinc illi imperturbata quies, gratissima concordia, pax firma, perfecta iustitia, summa innocentia, cordis puritas immensa, fœlix tranquillitas, tranquilla fœlicitas, & omnium denique virtutum atque bonorum abyssus inexhausta.

At posteaquam contempto creatore, serpenti malitiæ polytechno auscultauit, relictisque sponso suo adulterum diabolum recepit ac diuinum præceptum impiè prævaricatus est, omnibus hisce bonis misere spoliatus est, subitoque ex tanta gloria in tantam corruit malorum lernam, ut eundem vix esse hominem credas. Nam quæ pridem illi fuerant pacatissima, iam contrafacta sunt perturbatissima. Caro enim immorigera, semper obstrepens & recalcitrans, reciproca illum (qua ipse creatori suo inobediens fuit) plecit inobedientia. Quid multis? Omnia illi plane præter votum, præterque animi sententiam e-

uenie-

PROLOGVS.

uenerunt. Nam memoria pridem omni bono & summo bono referta, tantummodo obliuionis, non ex amne Lethæo, sed ex pomo illo vetito hausit, ut præter noxia & vana vix quicquam retineat. Intellectus paulo ante Dei cognitione mirifice illustratus, tanta iam cœcitate est inuolutus, vt vix parua quædam illius scintilla supersit, Voluntas summi & optimi creatoris charitate succensa, nunc peruersa, pro veris amplectitur falsa, temporalibus capitur, æterna negligit, carnalibus infimisque detinetur, repudiatis ijs quæ verè sanctum faciunt & beatum, vires omnes deordinatae sunt, vixque vestigium aliquod pristinæ virtutis retinentes. Rex ratio abiecit sceptro, deposita corona regia, exutis regalibus insigniis, pudet dicere quam infimæ fœci, quam ignobili vulgo nonnunquam parecogatur. Ita nobilis illa creatura homo, qui pridem omnium creaturarum inuictum gerebat principatum, versutia diabolis subuersus miser, adeò semel omnia amisit, vt ne sui ipsius quidem integrum dominium retinuerit. Qui creatus corpore & animo, plane diuinum erat animal, nunc adeò incuruatur & humili ripit miser, ut brutis propemodum coæquetur. Qui deinde ab omnibus iterum offensis semel purgat-

tus

PROLOGVS.

tus per sanguinem redemptoris , perque ti-
dem Christo initiatus ac despousatus , tot
iterum adulteria cum impurissimo diabo-
lo commisit , vt nihil supra . Quid igitur ?
Num perpetuo in hoc tam fœdo lapsu
perseuerandum ? nunquid qui dormit non
adiicet aliquando ut resurgat ? Si diabolus
perdere potuit , Christus seruare non po-
terit ? Et quidem multò amplius . Non enim
sicut delictum , ita & donum ait Apoſto-
lus . Nam si vnius delictum multos perdi-
dit , multomagis gratia DEI & donum
per gratiam vnius hominis I E S V Christi
plures seruabit . Homo quidem suapte cul-
pa ceciderat , sed suapte virtute resurgere
non poterat . Opus fuit adiutore , opus
seruatore Christo I E S V , quo subnixus
in pedes in pristinum gradum restitueretur .
Erectus est , ablutus est , sanctificatus est .
Vnus tantum iam scopus restat , vt ad pri-
stinam dignitatem suam totis iterum viri-
bus anhelet , vt ad sponsi prioris castum
morem veluti postlimino repedare stude-
at . At quo id pæcto quam ordinatissime
fiat , hic potissimum tradit libellus , in quo
septem diuini amoris enumerantur effectus ,
qui sunt vulnerare , inflammare , langu-
dam efficere , inebriare , soporare , liquefa-
cere , coniungere amantem animam Chri-

ſto ſpon-

PROLOGVS.

sto sponso suo. Cæterum quemadmodum
nihil cum amaracino sui: ita suillis moribus
homini cum hoc sancto casto , ac spiritua-
li amore nil plane est commercij. Quid e-
nīm carni & spiritui ? quid Christo & Beli-
al ? Animalis homo inquit Apostolus non
percipitea , quæ sunt spiritus D E I. Stulti-
tia siquidem est illi , nec potest cognosce-
re quod spiritualiter diiudicatur. Proinde
mei similes tepidi ac animales , qui ab isti-
us sponsæ flagranti spiritualique amore
dis diapason absumus , imò qui huic ex
diametro contraria gerimus , ac ne per so-
nnium quidem quid sit amare Deum gu-
stauimus , nostra ipsorum peccata plange-
re potius , quam ad sponsi thalamum per-
rumpere debemus ; quo salutari iterum la-
chrymarum lauachro abluti , ac ab inordi-
natis erga creaturas affectibus depurati ,
vni creatori solide inhæreamus , sponsum
nostrum Christum sequentes quocunque
ierit. Hoc vobis casti amoris nectar propi-
no lectores charissimilatio iuditum calicu-
lo. Quod si grati estis , obuiis manibus am-
plexati , læto haustu in pectora demitteritis ,
Sin ingrati , ob vasculi continentis vilita-
tem , ne quælo preciosissimum nectar re-
spuatatis , neu amabilem iustum Amantis a-
nimæ libellum , ex mero vobis amore do-


2.Cor.6

1.Cor.2

PROLOGVS.

natum morositate inimica alpernemini.
Huius autor mihi quidem vir pius , satis-
que in scripturis videtur exercitatus. Ve-
rūm si quid hic fortè in contextu ipso tor-
tum, hiulcum , aut aliqui parum cohærens
offenderitis , interpreti nihil imputandum ,
qui rogatus amicis morem gessit, ac alieno
in opere Aristarchus nimium oculatus esse
noluit. Nam & si in plerisque id sedulo co-
nati sumus , haud tamen in omnibus. Quic-
quid autem præstiterimus , quantumue lu-
cis & gratiæ nostra attulerit distinctio , ex
collatione melius liquefcet. Qui in simili
harena aliquando fuerint luctati , nobis æ-
quiores erunt , inexpertis & rerum imperitiis
nihil rectè dici potest, multò minus ma-
leuolis calumniatoribus , qui etiam rectè
dicta in peiorē semper partem detorque-
re solent. Vobis autem candidi lectors
hoc sit meæ ergà vos dilectionis mnemo-
synon , pignusque sempiternum. E no-

stro Dumeto Deiparae virginis sacro
prope Endouiam.



QVOMODO SPON-
SVS A B A N I M A D I V Q VÆ-
SITVS IN MVLTIS, IN VNO
 tandem inuenitur.

SCRIPTVRARVM CATE-

C H E S I S N V T R I X , A M A N T I S A N I-
 mæ eidem in thalamo deuotionis assidens,
 suum ita sermonem auspicatur.

Sic equidem charissima mihi filia (ut reverè inquit Hugo) cor tuum adeo nobile tenerumq; à Deo creatum, ut sine amore nunquam esse queat, quin aliquid semper obiectum habeat, quo se se oblectet, cui inhæreat. Itaq; terrogata velim, ut quo nunc potissimum cordis sui desiderium feratur, mihi enarreret.

Amans anima.

EI A dulcissima, inquit nutrix, omnium arcanorum meorum vnicè semper conscientia, equidem vti soleo, mentis meę abditissima quæque penetralia lubens tibi indicauero, adeoq; nulli libentius clariusq; atq; tibi. Imò ipsa te obsecro, vt audire velis, vtq; vniuersum istud cogitationum mearum produs, in tuum mihi liceat sinum estundere, id misero cordi meo voluptati erit non exiguae. Sanè, vti asseris mea nutrix, ita est, nec diffiteor, cor humanum sine amore nun-

DE AMANTE

quam esse posse, ut etiam si velit, amore tamen vacare, penitusq; otiosum esse nequeat: semper vero re aliqua detineatur, occupeturq; necesse est. Atq; istuc ipsum est quod iam usque adeò deploro tibiq; conqueror, cor videlicet meum nimis inde inquietari mæstumq; potius quam lœtum effici: Crebro namq; mihi verba data comperi ob maximam instabilitatem illius, quod vnicè mihi elegeram, ac in quo solo conquiescere videbar. Nam per illius separationem aut interitum, omnis illa cordis mei oblectatio dico citius aufugit. Vnde tanta sæpè calamitate afflictioneque distorta fui; ut vix ipsa iam sciam cui innitar, rursum inde mihi plus aloes quam mellis propinandum reformidans.

Nutrix script. Catechesis ait.

Ita profecto tibi nunc accedit filia atq; sollet iis, qui mentem suam alicui rei mutabili ac transitoriae addixere, qui se miserè semper deceptos inueniunt, quoties mutatur id, quod mutabile est, quoties transit, quod transitorium est, quoties alteratur, quod alterabile est. Nā quemadmodum auicula idem effugata alium atque alium sibi ramuscum cui infideat circunspicit: ita isti nouas subinde creaturas in quibus conquiescant, quibus sese oblectent peruestigantes, solidâ tamen immutabilemq; quietem consequi nun-

quam

quam poterunt multis interim gemitibus & querelis mutabiles istas rerum vicissitudines prosequuntur. Nec illepidè in te quadrat , ô spōsa , quod in Marthā quondā torsit Dominus dicens : Martha Martha sollicita es , & turbaris erga plurima , perinde ac si diceret : Diuersa expetis & varia sēctaris , quibus repertis , nil aliud præter inquietudinem meram , sensuum tumultum , cogitationum euagationem , spiritus impuritatem haud profectò mediocrem reperisti. Quum verò amiseris (semel enim omnia tandem deserantur oportet) quid aliud quam gemitus , mœreres & vitæ denique tædium remanet. Martha inquam vnum tibi est necessarium : id vnum ceu optimam partem elige , quæ tibi auferetur nunquam. O anima id vnum tibi consulo eligendum.

Luc.ro.

Amans anima.

Narra , quæso te mea nutrix , quod tandem vnum istud sit , quod præ omnibus necessarium , præ omnibus adamandum , mihi (ut assiseris) nunquam sit auferendum : O me fælicem si id aſequi queam , tum demum bene pacata conquiescerem , quæ alioqui multis ſæpe querelis prosequuta sum , id mihi auferri , in quo consolationem ſpenique meam vniuersam deposueram.

B z

Nutrix

DE AMANTE

Nutrix.

Id quidem facilè tibi monstrauero filia.
 Atqui necesse est, ut omnes primùm cōgitationes, omnes sensus (quos longè latèque ceu canes venaticos feram cordi tuo desideratam captantes, passim euagari permisisti) iterum recolligas. Proinde buccinam liberi arbitrii tui clange, distractas omnes cogitationes cōuoca, easque penes te contine.

*Anima.***Enitar pro viribus.***Nutrix.*

Nostri nifallor filia, si quis infra se, hoc est, infra dignitatem suam aliquid amat, hunc suæ maiestati iniuriam facere; ipsumque se dehonestare. Quemque enim sibi similem aut pàrem amare decet, ubi vero parilitas aut similitudo nulla est, quo pacto amor ibi diu permanere possit? Si teipsum ignoras ô pulcherrima mulierum, inquit Salomon: spiritus es, & quidem immortalis, incorruptibilis, conformis imago creatoris. Si igitur quippiam visibile, audibile, transitorium amas, temetipsam dehonestas, ac plane ab innata tibi nobilitate degeneras. Non decet hoc tuum statum, non conuenit dignitatem tuæ. Rationem huius quæris? Audi: Nihil visibile & corporeum exlatiare te sufficit. A-

Cant. I.

deo nam-

ANIMA.

deo namque vasta ac sinuosa est spiritus tui
capacitas , vt candem nihil exsatiare queat ,
præter vnum. Id vnum ô anima tibi maximè
necessarium est , Id vnum à nullo tibi aufe-
rendum est. Ad istud vnum solum creata es
cognoscendum , cognitumque amandum , a-
matumque possidendum , poslesloque in sæ-
cula fruendum. Id inquam vnum est , in quo
solo (ceu in diuinæ quodam copiæ cornu)
abunde omnia reperias , quæ maximo labo-
re hactenus in aliis frustra inuestigas . Vni-
uersa licet assecuta fueris , hoc vno frustrata ,
nil plane quod te exsatiare pacatamquerere
dere queat , inueniente putanda es. Quocunq;
manum tetenderis , umbram capies , nisi ad
hoc vnum porrexeris. Nam quemadmodum
qui in flumen collapsus , apprehensæ manu
arundini inniti ac emergere voluerit , frustra-
tur , non illum saluat arundo , sed protinus
confracta , in profunda præcipitem abire per-
mittit : ita & tu , ô Christi sponsa anima Chri-
stiana , si alicui creaturæ præterquam huic
vni adhæseris , veluti fragili arundine appre-
hensa cito destitueris , non tecum res illa per-
manebit , non te tutabitur . sed in aquam tri-
bulationis ac misericordiæ submergi permittet .

Anima.

Oracula mera sunt quæ prædicas dilecta

6 DE AMANTE

nutrix. Huiuscemodi enim fallaces illecebras
impudens meo malo non semel sum exper-
ta. Verum si hoc vnum summè necessarium
me plene (vti promittis) exsatiare sufficiat ,
tum demum me reperisse gaudebo in yno ,
quod in omnibus haetenus frustra fueram
scrutata.

Nutrix.

Potētia
sponsi.

Psal. 99.

Quantum te noui filia , si pro tui cordis
desiderio sponsi eligendi optio tibi daretur,
summa pfecto potentia , summa sapientia
ac forma præditum eligeres. Quid si ego nūc
talem tibi sponsum , qualem nec somniare
quidem auderes officiosa commonstrem ? ta-
lem inquam qui tribus hisce (quas memora-
ui) virtutibus abunde sit ornatus , cui imper-
ium sine fine manet , cuius regnum triparti-
ta distinctione vniuersa continet : suprema ,
media , infima : eius regnum cœlestē pari-
ter ac terrenum , spirituale ac corporeum. E-
ius potentiam si nosse velis , immensam istā
cœlorum machinam contemplare , ac si lu-
bet interroga. Quis te ô nimis stupendum o-
pus creauit ? Interroga solem , lunam , stel-
las , quis conditor uester ? Vna omnes (ni fal-
lor) voce tibi protinus respondebunt : Ipse
fecit nos , & non ipsi nos . Porro hic ipfus est ,
filia , quem tibi nunc consulo eligendum spō-

fus tu.

fus tuus. Quis humana corpora tam artificiose formauit? quis membrum membro, iuncturam iuncturæ aptissimè ac decenter coherentem copulauit? Ad hæc tuam ipsius animam attende, quis te tam nobilem, tam ornatam creaturam, memoria, intellectu, voluntate pollentem condidit? Postremò sublimem illam angelorum spirituum naturam contemplare, qui simillima sunt imago sanctæ trinitatis, & forma proxima creatori. An non iste qui tam nobiles, tam præclaras creaturas solo verbo produxit ex nihilo, merito omnium tibi potentissimus videtur?

Sapientiā eius scire cupis? attende quām prudenter omnia in suo ordine & harmonia conseruat. Opus eius, opus æternum est. Solis claritas nunquid per tot sæcula illustrans vniuersa, vel pilo inde imminuta est? noñec eodem (quo in suæ creationis principio) fulgore radiat? Nonne ab exordio usque in presentiarum micant sydera, fluunt ac refluunt maria, spirant venti? Nonne adhuc calorem lucemque præstat ignis, refrigerat aqua, dies nocti, nox diei succedit? Omnia per ineftabilem sapientiam suam disposuit in pondere, numero & mensura. Et omnibus consummatis vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona. Quid multis moror? Etiam id quod suapte culpa perditum, deformè ac in-

Sapien-
tia spon-
si.

Sap. 11.

Gen. 1.

nordinatum fuerat effectum , sua sapientia prudentissimè restaurat , ac in ordinem redigit.

Forma
sponsi.

Formam eius audire delectat? Adeò formosus & pulcher est sponsus tuus , vt pulchritudinem eius sol & luna mirentur. Imò si suam ipse venustatem exerere , mundoque manifestare vellet , sol iste obscuraretur , luna non daret lumen suum. Quod si solem , si lunam , flores , herbas , reliquasque formosas & lepidas creaturas interroges : Vnde vobis hic decor , hæc formæ venustas & excellētia ? Ilico respondebunt : Nostram quid intueris ô sponsa ac obstupescis pulchritudinem ? Exiguum est omne quicquid in nobis decoris existit : si conferatur illi , à quo solo omnis iste noster decor , ornatus omnis processit Qui licet splendidus videatur oculis intuentium , reuera tamen ad illius sponsi tui decorum collatus , fordescit penitus , multoque minor est quam exigua aquæ guttula ad inexhaustam oceani vastitatem. Nam is qui nobis hanc formæ venustatem est largitus , haud dubie infinitis nominibus ampliorem sibi reseruavit. Quem admodum iij , qui immensa frumenti horrea habent reposita , paucula aliquot grana in vasculo foris venalia expunnt atq; ostentant , vnde conijciant emptores plurima in ipsis adhuc penetralibus cui-

cunq;

cunq; petenti reseruata: sic monarcha omnium Deus exiguam quandam creaturis sui decoris particulam impertiit, quo te ad suum inde amorem pelliciat, Dum videlicet attendis, eum adhuc longè copiosiorem pulchritudinem possidere in seipso, quam tibi haecenus in creaturis ostentauerit? Quam profectò tum demum exerte tibi reuelabit, quum in cellam suam vinariam, in thalamum inquam suum te sponsam, sibi gratissimam, introducit, festiuissimas ac regales tecum nuptias peracturus. O Dei sponsa amans anima, si eximum videre decorem concupisces, si melodiae dulcedinem auribus percipere inuuat, si blanda colloquia, gratos odores, suauissima bellaria appetis: vniuersa hæc in omnium creatore sponso tuo inuenire licet tantò excellentiora, quanto à creaturis creator distat & omnia excellit. Quum igitur omnia quæ appetis desiderabilia, in hoc uno reperire queas, si alibi boni quippiam desiderabilisue quærendum existimas, toto quod aiunt cœlo aberras, falleris, frustraberis, nec vñquam voti compos eris. Quandoquidem vbi quærendum non est quæritas, mella in arundine, margaritam in sterquilinio scrutaris. Proinde id vnum tibi sedulo contuloperquirendum, quod Mosi quondam Deus promisit dicens: Ego ostendam tibi omne

Exo.33.

bonum, quo reperto omnia bona reperisti.

Anima.

Iam me miseram haec tenus plane seductā
fuisse comperio fidelissima nutrix, dum toto
studio extra me stolida querito, quod intra
me, si scrutata fuisset, facillime inuenissem.
Quid multis tantas de hoc mihi nunc sponso
prædicas, ut mens mea in suum iam amorem
tota rapiatur adeoque inflammetur. Quis e-
nīm cum qui omnium est potētissimus, sapi-
entissimus, formosissimus non admet? O
utinam digna essem hunc mihi habere spon-
sum, hunc ardentissimo amore diligere, ac
vicissim ab eodem diligi, verbis, nutibus,
donariis, & gratissima eius familiaritate
perfrui.

Nutrix.

Hest. 2.

Ingentia optas filia, nec ambigo te aliquā-
do adhuc consecuturam quod optas, tamet-
si non adeò propere. Pusilla enim auicula,
pusillum prius nidulum construit, nec citius
euolare festinat, quam pennis sufficienter
conuestita, atque adornata fuerit. Aspero
Regi non protinus ut adducta fuit, copulata
est Hester regina, at qui diuturno prius tēpo-
re præparanda, polienda, comenda, crebro
abluenta, pretiosis aromatibus ac suaueo-

lenti-

lentibus vnguentis permollienda erat, ac sic demum nitida ac delibuta ad regem introduci digna fuit.

Anima.

Quod adeo temere tanta postulare præsumpsi, dilecta nutrix, amor in causa fuit, amor pudere nescit nec amati maiestatem attendit. Nam quemadmodum tribus quondam lanceis Absalon in pectore confosus fuit: ita cor meum per sponsi istius potentiam, sapientiam, formamque eximiam ceu tribus quibusdam lanceis grauissimè est sauciatum. Si quidem insensata nimis, ac truncus verius quam homo essem, si tam potentem tam sapientem, tam formosum sponsum non adamarim, quum hæc tria (vt dixi) alibi diu quæsita, in hoc sponso abunde nunc repererim. Gaude itaque & exulta anima mea, quia nunc tandem inuenisti in uno, quod frustra haec tenus in omnibus quæsisti.

2. Reg.
18,

QVOMODO ANIMA SPONSVM
quærens, amore vulneratur. Primum
charitatis opus.

SIC anima per recordationem potentiarum,
sapientiarum, formarum, sui sponsi amore sau-
cia, quanto crebrius eadem revoluit, tan-
to profundius vulneratur, ampliusq; adhuc

eadem

DE AMANTE

eadem recogitando vulnerari appetit. Hoc quippe vulnus non abominabile & latum, sed amabile & latum vulnus est. Non enim habet amaritudinem conuersatio illius (ait Sapiens) nec tedium conuictus illius.

Sap. 3.

Primum opus siue primus charitatis effectus est vulnerare amantem animam, ut vere dicere possit Vulnerata charitate ego sum. Porro ea dicitur anima vulnerata, cuius cor apertum est semper coram Deo. Soror mea, amica mea inquit sponsus, aperi cor tuum mihi, ne sinas me diu foris persistere: leuiter pulso, aperi mihi ostiolum cordis tui. Cor vulneratum cor est apertum. Cor vulneratum est quod se totum ad sponsi amorem sentit permotum. Quisquis lesionem aut vulnus aliquod in corpore occultum gestat, nullibi quiescere, nusquam commode sedere potest. Nunc surgit, nunc residet, sed ubique federit parum commode sedet ad votum suum. Haud secus vulnerata charitate anima quicquid yiderit vel audierit, ubique fuerit, si nulla illic dilecti sui fiat mentio, solaque temporalia ventilentur negotia, parum sibi placet, immo totum ceu nugas, Siculaq; gerras despicit, semper cogitans cum Dauide: Narrauerunt mihi, inquit, fabulationes, sed non ut lex tua. Adhac homo vulneratus, praeter vulnus suum, cogitat nihil. Nam & vulgo

dicitur, & reuera ita se res habet: Vbi dolor
ibi manus, vbi amor ibi oculus. Sié vulnerata
charitate anima, suum semper vulnus, pa-
riterque illum ob cuius amorem vulnerata
est, cogitat. Si quis vulneratum colloquendi
gratia accesserit, vulneris sui protinus menti-
onem faciet eger, & inde vicissim verba face-
re accendentem oportebit, si modo gratus ei
collocutor esse voluerit. sic amore fauciā
animam quisquis alloquitur de suo illam di-
lectō alloquatur, aut alioqui ceu nugator fa-
bulosus protinus exsibilabitur. Porro si & is
collocutor eodem confosus est amoris iacu-
lo, dici non potest, quam melliflua tum de
suo inter se dilectō colloquia misceant. Nil
ibi auditur, nil spirat nisi dilectio mera. Quē-
admodum puellæ compares quum forte in-
ter se conueniunt, de sponsis & amoribus suis
totos dies garrientes tedium nullum capi-
unt, non aliunde audire, non fabulari dele-
ctantur: ita Christi sponsa amore fauia, de
suo dilectō, suique cordis amore perpetuo
colloqui, perpetuo audire desiderat, idque
qui quis etiam nectare & ambrosiasuauius si-
bi esse existimat. Vbicunque nouerit de suo
quippiam dilectō referendum, neglectis o-
mnibus eo properat, expleri non potest,
satiari non potest. Multa patienter audit, ut
inter multa spiritualis amoris, paucula faltemi

quædam



quædam percipiat. Cogitare de dilecto ingens illi iubilatio, maximaque cordis voluptas. Loqui de dilecto mel illi in ore, audire quippam de dilecto melos auribus gratissimum. Imo quanto plura de suo isto dilecto vel audiat vel loquatur (ut mos est amantibus) tanto grauius semper vulneratur, grauiusque adhuc vulnerari gaudet. Non enim corporalium instar vulnerum cruciant, sed delectant hæc vulnera. Cordis sui vulnera sponsam in rebus vanis, mundanis, sensu libusque quiescere non permittunt, sed ut de se testatur ipsa: In lectulo meo per noctes quæsiui quem diligit anima mea, quæsiui & non inueni. Quæsiuit à singulis forte sibi obuiis, Num quem diligit anima mea vidistis? Quæsiuit à custodibus ciuitatis, num quem diligit anima sua vidiscent? At qui custodes pallium illius tollere conabantur.

In lectulo suo, hoc est, in voluptatibus huius mundi, carnis propriæ, in obsequendo voluntati suæ non inuenit sponsa quem diligit anima sua.

Per noctes, hoc est per crassas ignorantiae tenebras, ubi nescitur, non inuenitur spōsus. Quem si inuentum cupit, prius eum desideret prius agnoscat oportet, quis, qualis, & quantus sit.

Num quem diligit anima mea vidistis? inquit.

quit. Non indicat quis sit , nomen illius non edit. Si quidem quem probè cognitum ipsa semper in animo versat , quem in sui cordis intimis penetralibus totum gestat, quem solum perpetuò amat , hunc itidem ab omnibus passim agnosci, ab singulis æque atque ab ipsa adamari existimat. Deinde ad custodes ciuitatis progesla illico vulneratur. Custodes sunt Prophetæ , Apostoli , Euangelistæ , sollicitis semper excubiis sanctam Ecclesiam custodientes , qui tam certa illi de suo sponso perhibent testimonia, tantisque illum efferunt preconiis , vt quæ prius vulnerata accesserat , postmodum longè grauioribus saucia vulneribus abscederet. O amans inquietum anima , si tuo præ omnibus dilecto placere appetis , pallium mundanæ vanitatis , sensu-alis affectionis humanique fauoris otyus abiicias , certo persuasa , vniuersum amicarum sponsi ornatum intus in animo repositum. Nam et si sponsum forte coram te transeuntem conspiceres , tot onusta vestibus , tot curis occupata , tot inuoluta negotiis , quopadæ post ipsum in odore suorum vnguentorum procurreres ? Celeriter admodum & ocyor Euro præteruolat , tu nisi valde expedita , ac ab omnibus quæ mundi sunt plane nuda , subsequi præcedentem minimè valetes. Abieciro igitur hoc inutili pallio , ueste

Psal. 44.

Can. 3.

inno-

innocentiae ac pristinæ simplicitatis amiciaris.

Auditis ergo preclaris illis suauibusque custodum de sponso suo testimoniis, vulnerata inde discedens amans anima, vestem sensuallis affectionis (ut aliquanto alacrius ad inuestigandum dilectum procurrat) quantum potest abiicit, quemuis forte sibi obuium de suo dilecto interrogat, Num quem diligit anima mea vidisti? Creaturas aliquas conspicata, protinus illi in mentem venit dilecti fui, qui & has & omnia pariter creauit ex nihilo. Si formosa aliqua contuetur, si audit sonora, mox ita secum cogitat. O quam decorus, quam dulcis, sonorus & tinnulus est is quem diligo sponsus meus, à quo omnis hic decor, suauitas vniuersa processit. O quanto gestirem gaudio, si praesens praesentem intueri, si dulcia verba miscere, si amplecti liceret: profectò tenerem, nec vlla à me ratione dimitterem. O quando veniet dies illa, ô me fœlicem, quum id accipere merebor. Valeat interim quicquid in mundo volupe est, abnego, execror, detestor omne solatium, Iordet omnis voluptas donec veniat dies illa.

Sic ex omnibus creaturis vulnerata discedit amans anima. Quicquid enim in creaturis est amabilitatis, decoris & gratiae praefert ac veluti per transennam ostentat supereffluentem illam gratiam, amabilitatem & decorum,

quæ

Cant. 3.

quæ cuncta in omnium conditore excellenter existunt.

QVOMODO ANIMA AMORE
inflammatur, secundum charitatis
opus.

AM vero sic amore saucia amans anima, nullum mundanæ voluptatis cataplasma vulneri suo imponendum curat, non humanæ affectionis medicamenta quæritat, probè gnara, huiuscemodi fomentis cordis sui vulnus minimè curandum. Neminem omnium quærit, de nullo interrogat alio, nisi de solo dilecto suo. non quidem ut suum curet vulnus (quod nequaquam exoptat) quin potius grauioribus adhuc vulneribus sauciari appetit. Ideoque de solo dilecto, quò pluribus ab eodem vulneretur, interrogat, non ignara, amoris fruitione non extingui sed ardentius accendi desiderium, sed cor ipsum magis inde sauciari, adeoque rapi in amorem dilecti. Ac proinde graues gemitus profundaque emittens suspiria, nutricem suam ad tempus ab ea digressam, nunc iterum sibi exoptat præsentem, quæ protinus reuersa, ita inquit.

Nutrix.

Amantissima filia quid tecum iam agitur?
Cor tuum amore pridem saucium qui valet?

Anima.

Mea Nutrix vbi quæso hactenus delitui-
sti? vbi tam diu morata es? cur me miseram
(quæ præter te, cui omnes cordis mei æstus
committam, habeo neminem) in hoc rerum
statu tam calamitoso, solam relinquis? Nunc
sane iterum tecum loqui desidero.

Nutrix.

Quod te solam conquereris derelictam fi-
lia, ideo factum noueris, ut interim soli spō-
so sola familiarius aliquandiu colloquereris.
Sed nunc effare, quid cor tuum angustiæ
premit.

Anima.

Tribus illis quas supra memoriai lanceis,
sponsi videlicet potentia, sapientia, forma,
opidò me vulneratam comperio, adeo ut
miro quodam mentis ardore in illum tota-
rapiar, illum solum concupiscam, solum de-
siderem. Quod ingenuè tibi fateor mea nu-
trix. At proh dolor hæc eadem quæ illum
mihi tam gratum, tam amabilem reddidē-
re, nunc vicissim me ab illo deterrent, me-
que mœrore afficiunt, dum illius infinitæ
potentiaæ meam confero fragilitatem, illius
inexhaustæ sapientiaæ meam insipientiam, il-
lius admirabili formositati meam oppono
defor-

deformitatem. Protinus enim me tanto, imò longiori ab eo distare conspicor interuallo, quam distat ortus ab occidente, cœlum à terra. Vereor itaque ne imparem, mihi que longè dissimilem adamans, nulla eius vñquam amicitia, societate nulla fruar. Nēque id iniuria. Quandoquidem tanta est mea fragilitas, vt quantumuis enitar, vix tamen cum magno labore boni quipiam perficere, virtutique operam dare valeo. Et vt reliqua subticeam, si mentem meam vel pululum sursum ad Deum subleuare conor, è vestigio priusquam sentiam, deorsum me rursus collapsam intueor. Conqueritur Sapiens septi- Pro. 14
es in die cadere iustum: at quantò id verius ipsa conqueri possum? Cordis enim mei na-
uicula, sæpius, proh dolor, per carnis æstū
mundi vento vehitur, ac subinde impelli-
tur, imo retrocedit potius quam proficit.
Quandoquidem pro vna cogitatione pia, de-
cem nonnunquam illicitas admitto. An non
igitur optimo iure metuam, ne immensa il-
lius potentia insignem meam fragilitatem a-
spernetur.

Deinde insipientia mea talis tantaque est,
vt vilissima sæpenumero pro optimis sum-
misque elegerim, adeoque pro re nihili salu-
tem sempiternam amiserim, terrena potius
quam cœlestia quæsuerim, carnem sæpius

C a m i g u i n a g u a quām

quām spiritū, voluptuosa, sensibusque grata
potius quām animæ salutaria, homines ma-
gis quām vnicum sponsū meum Christum
adamauerim.

I.Pet., J.

Psal. 48.

Postremò, dum illum formosissimum me
contra maximè deformem intueor, vah quā-
tò intus pudore suffundor, quæ in sacratissimo
baptismatis lauachro, ab omnibus se-
mel peccatorum inquinamentis perfectè e-
mundata, pudet dicere, quam ignominiosis,
quam grauibus sceleribus, idque frequenter
meipsam stolidam iterum conspurcaui, velu-
ti sus lota ad volutabrum luti regressa. Heu
quantum cœni, quantum arenarum pedibus
meis adhæsit, quantum pulueris in faciem
meam insiliit, vt iam præter pulueres ac ter-
ram in me plane conspiciam nihil. Heu quam
frequenter in cloacam delapsa, parce admo-
dum fordes extersi atque clui. Metuo sane
ne non pauca adhuc in me purganda reman-
serint. Noui equidem me quondam formo-
sissimam, quondam mundissimam, maxime-
que elegantem fuisse. Nunc vero prophetæ
me territat dictum, quo ait: Homo cum in
honore esset non intellexit, ideoque com-
paratus est iumentis insipientibus & similis
factus est illis. Ecquid igitur mirum, si ob
hanc meam fragilitatem, insipientiam, de-
formitatem despœta, ac veluti tanto spon-
so indigna reiiciar?

Nurix.

Nutrix.

Ne desperes amantissima filia , Sponsus tuus neminem ex animo ipsum desiderantē , ex animo ipsum quærerentem vñquam aspernatus legitur . An illum huius mundi potentibus , sapientibus , formosis (qui maximo supercilio ac fastu pauperes imprudentes , deformes omnes præ se contemnunt & abiiciunt) similem existimas ? Nihil minus . Nam quo potentior , sapientior , formosior est ipse , eo magis tibi sperandum , vt inolita sua benignitate robustam , sapientem , formosam te efficiat ,

Anima.

Maximo maius putarem , si de me vilissima ancilla vel scimel cogitare dignetur tanta maiestas .

Nutrix.

An illum de te non cogitate existimas filia ? Imo de te cogitauit priusquam te (quod nunc es) creasset . Et quicquid vspiam rerum cernis in mundo , propter te creauit .

Anima.

Propter me inquis creauit ? Heu quantula sum ego , cuius gratia tanta condiderit ? Ecquid autem vicissim ego gratum illi exhibeo ? Quid à mē obsecro vicissim expectat ille ?

DE AMANTE

Nunquid alicubi opera mea indiget ?

Nutrix.

Nequaquam ô filia. Siquidem nec in minimo , nec in maximo , illi quicquam præstare aut prodesse potes. Attamen tam inexhausta illius est erga te benignitas , amor tantus , vt vniuersa hæc (quæcunque videntur in orbe) gratis propter te creauerit. Terram condidit ad fructus cibosque tibi ferendos , aquam ad sitim tuam refocillandam teque mundandum , aerem ad viuendum spirandumque , ignem ad calefaciendum & illuminandum. Solem vt tibi luceret per diem, lunam & stellas per noctem. Animantia , vt suo tibi obsequio inseruiant , te pascant , voluntati tuae morem gerant. Flores vt suo te colore odo- reque exhilarent , herbas vt sanitatem , morbiique medicamina conferant egroto. Quid multis ? Omnia operum eius tu anima , tu inquam finalis es causa. Num quid igitur qui tui gratia tot ac tanta condidit , te veluti sua maiestate indignam aspernabitur aut flocci pendet ?

Anima.

Multam hisce verbis verecundiam mihi incutis dilecta Nutrix , totoque medullitus rubore suffundor audiens tantam Maiestatem , non solum mei memorem , sed infini-

tas pe-

tas pene propter me condidisse creaturas.
Quid illi pro omnibus istis officiis a retribu-
am? vnde pensabo? quid à me pro his repe-
tit ipse?

Nutrix.

Exiguum quiddam & quo nil pene tibi
facilius filia, nimirum vt eundem qui sic te
amauit, vicissim redames. Id vnum deside-
rat, aliud abs te repetit nihil, bonorum quip-
pe tuorum non eget. Cor duntaxat tuum,
amorem tuum, charitatem reciprocam fla-
gitat.

Psal. 55.

Anima.

Ecquid autem ô Nutrix noster iste amor
tanta Domino' gratificari, quid illi addere,
quid demere potest? Aliiquid profecto sic
oportet, quod illi de nostro amore collube-
at. Quod si noslēm, tanta animi alacritate
id perficere satagerem, vt nihil supra. Nunc
verò ita mecum agitur: vt quod sanctus o-
lim Antonius deplorauit, ipsa quoque con-
querar dicens: Domine saluari cupio, sed
non permitunt me cogitationes meæ.

Nutrix.

Desine filia. Nemo repente fit summus.
Bona mihi spes astulget, breui bellissime ti-
bisucceslurum.

Anima.

Psa. 33. Atqui illius adhuc dicti tui mihi venit in
mentem nec obliuici possum, sponsum mea
causa hæc omnia condidisse. Merito sanc-
tum intimo quodā amico suo dixero : Quid
retribuam Domino , pro omnibus quæ re-
tribuit mihi ? Væ miseræ mihi & ingratæ ,
quæ etiam si quid illi dignum rependere ve-
lim , quibus aut vnde paupercula id sufficiā ?

Nutrix.

Tolle querelas filia. Satis enim superque
id quod abs te expetit , illi præstare sufficis.
Nunquid in Euangeliō inopem illam vidu-
am duo tantum minuta in gazophilacium
misisse audisti ? Adeo certe inops nemo est ,
quin vel duo ista minuta , intellectum dico
& voluntatem , possideat. Intellectu itaque
tuo de illo cogita , voluntate ipsum deside-
ra Cogitationes affectionesque tuas ab o-
mnibus abstrahē creaturis , illique soli offer,
qui cordis tui vnicus est thesaurus , gratius
eidem præstare poteris nihil. Si tui gratia (v-
ti profecto fecit) omnia creavit sponsus tu-
us , tu vicissim omnes cogitationes , omnia
verba & opera tua ad ipsum dirige , quicquid
agis ad illius voluntatem perage. O amans
anima , omnium te creaturarum reginam
constituit sponsus tuus , omnes per eum cre-
aturæ

aturæ tibi ceu dominæ suæ obsequuntur & inserviunt: quas non alia de causa tot tamq; diuersas, tam magnas, tam splendidas, tam formosas condidit, nisi vt te ad sui amorem pelliciat. Si omnium creaturarum auscultare voces posses, suo quaque idiomate sic (nifallor) ad te clamitantes audires: O sponsa Christi fidelis anima, nos penitus contemplare, immensumque illum nostri creatoris sponsi tui erga te fauorem, charitatemque in nobis agnoscens obstupefce, Is nos omnes ad tui solius ministerium vsumque creauit, in quo quidem illius iussioni lubentissime semper paremus. Dilectum tuum ô anima in nobis agnosce, eidem de nobis gratias age, nostro vt lubet seruitio vtere, ac tuum vicissim seruitum creatori repende, nequam propter nos, sed propter ipsum nos dilige.

Anima.

Hæc tua ô Nutrix dulcisona verba me mirum in modum exhilarant, vt meritò dicam cum regio illo propheta: Concauit cor meum intra me, & in meditatione mea exardecit ignis. In meditatione inquam bonitatis, clementiæ, ac liberalitatis dilecti mei, qui hæc mihi vniuersa præstítit. O dilecte mi, ô sponse mi, ô dilecte votorum meorum, ô vine cordis mei thesaure, quantum mihi di-

Psal. 33.

DE AMANTE

ligendus es , qui tantum me prior dilexisti .
 O delitiae cordis mei , quam lubens tua præ
 amore exoscularer vestigia , lubentius tamen
 pedes tuos , adhuc lubentius manus tuas ,
 omnium verò lubentissime mellifluum il-
 lud os tuum . Cæterum quid ego vilis ancilla
 tam temere adeoque impudenter os illius
 osculari appeto , quem tremunt spiritus an-
 gelici , quem tota cœlestis reueretnr curia ?
 O mi dilecte ne quæso id egreferas . Ardor
 enim & amoris flamma , sese occultari non
 permittens , audacem me facit & improbā ,
 ob immensa tua citra omne meritum digni-
 tatemque meam mihi abs te collata benefi-
 cia , adeoque cor meum totum in tui amo-
 rem succedit , vt cum humili quodam ami-
 co tuo eloqui compellar : Domine quis tu ?
 quis ego ? Quis tu ? nimirum is cuius inscrū-
 tabilis incomprehensaque est celitudo ma-
 iestatis . Iudex quem omnes venerantur , a-
 dorant , colunt , quem tremunt ima tartar-
 a , cui totus subiacet , obedit , procumbit
 terrarum orbis , in quo omnia consistunt ac
 dependent , à quo vniuersa & formam & vi-
 tam & subsistentiam habent , ad quem om-
 nia tendunt , anhelant , suspirant , is tu es
 Domine Deus meus . Porro quis sum ego ?
 quem usque adeo dilexisti , ut vniuersa hæc
 ex amore gratuito condideris . Quis sum

inquam

Franci-
scus.

inquit ego, a quo tu Domine amari ambis?
Quis sum ego? cuius sponsus & vocari & esse gaudes, quamque eō honoris & sublimitatis cuehore dignatus es, ut sponsa tua & vocari & esse merear. O illustrissima nobilitas, ô ditissima opulentia, ô pulchritudo formosissima, ardet te plane cor meum, adeoque ardet ut magis ardere appetat. Tu queso illud ô sponsa in tui castissimum amorem magis magisque inflames, qui venisti in mundum ignem tuum saluificum mislurus in terram, nil cupiens aliud, nisi ut accendatur. O quam suave quam salubre mihi esset sic ardere. O dilecte nunc ita mihi tecum loqui liceat, quemadmodum duobus quodam discipulis Emauntem proficiscentibus, quorum cor ardens fiebat, dum ipsis loquereris in via, & aperires scripturas, quibus facundus adeo comes factus fuisti in via, ut illos in tui amore mirificè inflammares & notam illis gloriosam præsentiam tuam manifestares. Si igitur & ipsa digna forem tales tecum sermones miscere, haud ambigo te maioris adhuc ardoris materiam cordi meo suggesturum: tametsi nunc quoque non mediocrem tui amoris calorem intra me æstuantem persentiscam, maximè quoties mecum reuoluo immensam illam erga me dulcedinem munificantiamq; tuam, qua quid-

Luc. 12.

Luc. 24.

quid

quid vspiam creaturarum in mundo existit,
propter me indignam vilemque ancillulam
tuam condidisti. Vnde tibi gratias ago , te
adoro , laudo , benedico ex animo.

Sic ex continua diuinæ erga se bonitatis
contemplatione in amorem sponsi magis
magisque inflammata amans anima , ignis
instar quiescere non potest , satiari non po-
test. Nam quemadmodum vbiq; fuerit
ignea flamma semper ardet , semper moue-
tur , nunquam quiescit : ita cor animæ amo-
ris flamma succensum , ad Deum , adque vir-
tutes omnes suapte sponte semper moue-
tur : & vel Gregorio teste nunquam est oci-
osum , operatur magna vbi est , si verò ope-
rari renuit , amor non est. Talis anima aut
cœlestia contemplatur cum Magdalena , aut
succurrentis proximi necessitatibus tota in-
tendit cum Martha.

Luc. 10.
Secunda ignis proprietas est , vt in altum
semper euoleat , sursumque nitatur , ita ar-
dens anima sursum semper tendit ad dilectū
suum , ac ipsos quotidie cœlos per crebra ad
Deum suspiria transcendent dicens: O vtinam
istic essem. O quando veniet dies illa ; ô dile-
cte mi quamdiu gratissima tua societate ca-
rebo !

Tertiò , Ignis humores omnes exugit , e-
xuctosque consumit : sic amoris flamma in
corde

corde hominis exardelcens concoquit & exiccat quicquid in anima corruptionis existit, ab omnibus eam inordinatis voluptibus carnalibusque affectionibus depurans & emundans.

Quartò, Ignis ab auro, argento omniibusque metallis scoriam & spurcitiem cunctam separans, expurgat, nitidioraque illa quam acceperat, efficit: ita per amoris flamمام anima, ab omnibus sese impuris hominibus, qui sponsi sui nec cognitionem, nec saporem aliquem habent, quique huius in ea amore extinguerent citius, quam fuscitarent, sese segregans, illis duntaxat adhæret, qui parum ipsa amore sponsum suum ardent, quærunt & inueniunt.

Quintò, omnia sibi vicina & apposita ignis calefacit, adurit, succendit: ita ardens anima vniuersos secum degentes diuini amoris igne quantum potest inuoluit, rapit, inflamat, ut sponsum suum, quem ipsa vnicce deperit, illi quoque secum diligent.

Sextò, Ignis agrè admodum occultari potest: ita nec suum (quò intus vtitur) ardorem cælare anima nouit, dicente quodam Occultus longè magis æstuat ignis. Tali ardore succensus erat qui dixit: O vtinam omnia congelata hominum corda, in tui o Deus amorem excitare, omnes diuinæ cha-

ritatis tuæ ardore inflammare queam. Nam quemadmodum ex vna candela infinitæ succendi possunt: ita inumeras animas vna quæpiam tali igne succensa inflammare potest.

A&t. 3. Hoc enim Petrus igne succensus, quinque hominum milia, vna penè hora in Dei amorem fidemque Christianam excitauit. Pape quanta is amoris flamma intus flagrauit, qui tot hominem milia tam subito igniuit? De

Pf. 138. sponsi quidem eloquio ita legimus, ignitum eloquium tuum vehementer, & seruus tuus dilexit illud. Id ita se habere perbellè norunt experti, illi nimirum quibus aliquando spōsi alloquio grataque familiaritate frui concessum fuit. Horum vnum, qui in monte cacumine, totos quadraginta dies dominico alloquio dignus habitus fuerat, ita ait: Deus noster ignis consumens est.

Deut. 4. Pro. 30. Septimò, Salomone attestante Ignis nūquam dicit sufficit: ita amore ardens anima magis magisque adhuc ardere appetens, grato hoc ardore exsatiari nunquam potest. Hinc pius quispiam ita secum quotidie dicere consueuit: Nunc demum Domino meo ingenuè seruire aggrediar, qui tamen plurimis annis ardentissimo Deum amore adamauerat atque coluerat, verum hoc ille ardore sic delectabatur, vt ipsum in dies magis in se augeri exoptaret.

Octauò , In suam ignis naturam omnia
transmutat. Si lignum , si pannum , si linum ,
& stipulam in ignem coniicias , ignis natu-
ram protinus accipiunt ac in eā trāsforman-
tūr: ità amore ardens anima ad amoris sui
fomentum omnia conuertit. Si opima illi
donaria conferantur à Deo , hæc Dei munific-
entia maiores erga ipsum amoris statim in
ea concitat flamas. Si tribulationibus exerce-
atur , nihilo segnus diuinę bonitati atque
pro maximis beneficiis gratias agit , qui per
afflictionis huius fornacem , ab omnibus eā
scelerum maculis expurgare dignatur in hoc
sæculo , vt tantò clementius eidem parcat in
futuro. Si peccatoribus indulgere ac misereri
conspicit Deum , benignam eius miserationē
maiori statim amore ac laude prosequitur.
Si fontes punit Deus , hanc in ipso iustitiæ
districcionem adamat & amplexatur. Breui-
ter quemadmodum apicula ex omnibus pas-
sim flosculis suauissima congerit mella : sic
ardens anima ex vniuersis ac singulis sponsi
sui operibus , & laudis eius augmentum , &
sui amoris elicit incrementum , inde ipsum
vt Deum mirificè collaudens , ac vt sponsum
dulcissimum magis eum ac magis propterea
adamans. Quod expertus Apostolus Paulus ,
non illepidè dixit , electis omnia cooperari
in bonum , dum scilicet virtutum protectus
ipsis in omnibus augeatur.]

QVO-

Rom. 8.

DE AMANTE

QVOMODO ANIMA SPONSI
amore languida efficitur. Tertium
charitatis opus.

POst hæc reuersa Nutrix, sponsam ex Di-
uini erga se amoris contemplatione, be-
neficiorumque eius recordatione, nimio
illius amore succensam reperit, vnde haud
mediocri perfusa gaudio ita ait.

Nutrix.

Videris mihi, ô amans anima, ignitis illis
sponsi tui radiis tacta, totaque exæstuans.

Anima.

Tali inquam ardore ô mea Nutrix verba
illa tua hesterna cor meum inflammârunt, vt
quiescere nequem, nisi tuo rursus sermone
amplius inflammer.

Nutrix.

Atque ideò ad te reuertor filia, vt si opus
sit, maiorem tibi ardorem infundam. Dix-
eram pridem, sponsum tibi suam potentiam,
sapientiam, formositatem in creaturis ex
parte subindicasse, quum tamen infinitis i-
pse nominibus potentior, sapientior, for-
mosior existat, quam vel sunt vel esse pos-
sunt creaturæ vniuersæ. Deinde adieceram
hæc omnia propter te creata, tibique à Deo
donata. Nunc verò vniuersa ista non solum

tibi

tibi à Deo donata , verū etiam (quod o-
mnem amorem superat) Deum ipsum sese
tibi donasse affero , ne videlicet de illius erga-
te amore hæsites , sed te ab eo diligi , adeòq;
supra modum diligi , secura confidas , maxi-
mè quum tam stupendum sui amoris argu-
mentum tibi exhibuerit , vt sese tibi teque
sibi , hoc est , tuum vilissimum lutum (na-
turam dico humanam) suæ diuinæ maiestati
ceu maritus & vxor in vnam carnem coniun-
cti , copularit , similis tibi , tuæque consors
naturæ effectus . Nam qui summus rerum o-
mnium erat monarcha , omnium infimus fa-
ctus est : qui opulentissimus , Iro quoquis pau-
perior : qui suapte natura erat immortalis ,
propter te factus est mortalis : qui cœlestis ,
terrenus : qui honoratissimus , abiectissimus : Psal. 21.
itâ vt vermis calcantium pedibus conteren-
dus , & non homo videri possit . Laceram
nostram tunicam induit , formam serui acce-
pit , habitu inuentus vt homo , humillimè
inter nos velut unus quilibet è vulgo , velut
omnium nostrum vilissimus seruus conuer-
satus est . Laboriosa itinera pedibus confecit ,
laboribus pluribus attritus , doloribus ex-
haustus fuit , non alia de causa , quam vt te , A-
nima , te inquam ouem perditam , in sudore
vultus sui quæreret , quæ hæc tenus ab ipso
profuga , & huc illucque vagabunda , per-

Phil. 2.

vários vitiorum anfractus turpiter aberrabas , prorsus ignara , quo vnquam pæcto ad iter regium reduci posles , ni sponsus iste tuus plurimis molestiis & afflictionibus innumeris te diu quæsitam , in cruce tandem inuenislet , inuentamque in pristinum gradum restituislet.

Postremo ut te sibi arctissimo charitatis vinculo constringeret , teque ad suum amorem pelliceret , omnium quod habuit charissimum , corpus videlicet , sanguinem , animam & vitam denique suam pro te redimenda vltro exposuit . Quid an non igitur optimo iure illud in te torqueri posse videatur , quod sub figura vineæ populo quondam suo Dominus improveravit dicens ? Quid vltra debui facere vineæ seu sponsæ meæ , & non feci ? Proinde si iterum , ô anima , ex te querant filiæ Hierusalem , quemadmodum olim , dicentes : Qualis est dilectus tuus ex dilecto ô pulcherrima mulierum ? Illico respondeas illis : Dilectus meus candidus est & rubicundus , electus ex milibus . Candidus quidem primo , ob incorruptam illam virginemque suam quam pro nobis assumpsit carnem : deinde etiam ob mundissimam suam castimoniam , quam ad mortem usque illibatam tenuit : postremò ob vitæ quoque candorem atque innocentiam singularem .

Esa. 5.

Cantica

Rubi-

Rubicundus verò ob amoris ignem ardentissimè in eo semper æstuantem: deinde etiam ob corporis sui indumentum sacrosancto sauguine suo respersum. Hinc olim apud prophetam interrogatus, Cur usque adeò rubeum esset indumentum suum, respondisse fertur: Torcular calcaui solus. Eia igitur, fidelis anima, meritò iam dixeris sponsum tuum tui gratia rubicundum, electumque è millibus. Quotusquisque enim sponsus etiam è mille millibus electus, amicæ suæ gratia, suo se sanguine ita rubricari permitteret? Porrò si meritorium dignumque aliquid in te fuisse existimas, quod ipsum ad hęc propter te patienda impulerit, tota quod aiunt via, anima, aberras. Siquidem non tuæ virtutes aut iustitiæ (quæ plane nullæ in te erant) è summo cœlorum throno in hoc ergastulum Dominum maiestatis pertraxerūt, sed tua potius scelera miserandaque calamitas, imò potissimum flagrantissima illius erga te charitas, quæ nullum nouit modum aut ordinem, huc eum perpulit. Hic mibi nunc tuorum scelerum enormitatem ô anima attende, quæ sanè talia tantaque fuerūt, ut non alia ratione nisi per mortem filij Dei aboleri potuerint. Cogita quantus hic fuit tui erga te sponsi charitatis affectus, qui alioqui perfectè ostendi non potuit, nisi adeò

Ezay.63.

stupendo amoris argumento tibi exhibito ,
vt in cunctis retro sæculis huic similè nun-
quam sit auditum , nec vñquam postmodū
sit audiendum . Qui nisi ardentissimo te a-
more dilexisset , atque adeò suprà se suamq;
vitam dilexisset , haud vtique ipsam pro te
in atrocissimam mortem tradidisset . Quid
ergò ? Nunquid adhuc de suo erga te amore
dubitas ? nunquid illum adhuc sublimiorem ,
quam qui te respiciat , tuique misercatur e-
xistimas ? Animaduerte ô anima & vide quâ-
ti te æstimauerit ille , quantumque ab ipso
vel ante mundi principium dilecta fueris , ad-
huc diligaris , ac in perpetuum (modò ipsa
volueris) diligeris .

Anima.

Hæc quum ità esse non ambigam : quid
vetat , ô Nutrix , quò minus hunc meum dile-
ctum , sponsum sanguinum (quo nomine
& olim quidam insignitus fuit) nuncupem ?
Qui vt sponsus meus vocaretur & esset , pre-
tiosissimum sanguinem totamque vitam su-
am mihi impendit . Quid ergò me vna ingra-
tius , maioriique ignominia dignum ? me in-
quam tepida , arida , ociosa , quæ nihil vñ-
quam per omnem ætatem aut facere aut to-
lerare volui pro ipso , qui tanta pro me su-
stinuit ? Ecquid ego pro suis in me beneficiis

vicis-

vicissim illi rependam? nisi forte illius exemplo sanguinem quoque meum, corpus, animam, & vitam denique totam ad illius a-morem & beneplacitum offeram & impen-dam. Quæ tamen quum illi præsttero, nihil profectò aliud ei, quām quod ab ipso accepi offero, nec tamen hoc illi aut alicui alteri æque proderit, atque mihi vni,

Iam verò tres potissimum causæ sunt, quæ me in sponsi amore languidam debilemque efficiunt, horum videlicet recordatio, amor ipse, & dolor. Primò quidem quum illum atrocissima semper tormenta tolerassem, me contrà lautissimis semper distentam voluptatibus: illum sponsum sanguinum pro me ad mortem usque decertantem, me contrà delicatam sponsam nil præter solatia commoda-que terrena seellantem attendo, planè lan-gueo.

Deinde amor ipse immedicabili cor meum languoris vulnere sauciavit. Postremò nec exiguus me dolor tenet, quod hactenus tam perperam illius vestigia fuerim subsecuta, sic amantem non redamauerim, illi placita perficere neglexerim. Proinde adiuro vos filiæ Hierusalem, si inuenieritis dilectum meum, ut annuncietis ei quia amore langueo. Tot quippe tantaque illius in me sunt beneficia, tot amoris monumenta, ut me totam lubes-

Cant. 5.

illi in manus dedam , offeram , & reignem ,
imò tantum non præ illius amore deficiam.

Ex horum igitur recordatione lāguida
effēcta fidelis anima , vt solent ægritudine
cōrepti lecto decumbere : sic ipsa quoque
in thalamo solidudinis , in strato contempla-
tionis quiescere desiderat , vt ibi obseratis
quinque sensuum suorum fenestellis , omni-
busque huius mundi occupationibus exclu-
sis , in sola sponsi sui recordatione quiescens ,
securum capiat somnum. Sic igitur iam qui-
escente languente anima , illius curam agens
Cant. 1. sponsus , adiurat filias Hierusalem ne ægram
fūscitent , neque euigilare faciant dilectam
suam , quoad usque ipsa velit. Secundò le-
cto decubens ægrotus nullas omnino fert
turbas , strepitus forenses omnes auersatur ,
solus sine tumultu quietem capere cupit :
ita amore languens anima , vniuersas huius
mundi perturbationes quantum potest de-
clinat. Mundi enim strepitus facile intertur-
bat quietem spiritus. Nam quæ in secretario
mentis suæ sponsum meditari studet fidelis
anima , huiuscemodi tumultus penitus a-
spennatur.

Tertiò ineptas garrulorum confabulatio-
nes (quæ caput illi magis lèdant ac pertur-
bent quam recreent) angue peius odit ægro-
tus : ita amore languenti animæ vana nuga-

torum

torum colloquia , frequentiaque hominum
confortia nimium sunt molesta atque one-
rosa , vt pote quæ sola cum solo sponso sem-
per intus colloqui desiderat . Proinde qui de
mundi huius honoribus , diuitiis , voluptati-
bus perpetuo garrire pulchrum ducunt , fili-
os huius mundi quibuscum nugentur , per-
quirant : animam ægram cum sponso suo
quiescere cupientem suis ineptiis ne fatigent .
Si ineptire lubet , tui similes nouarum rerum
cupidos paßim facile inuenies , Christi spon-
sam tuis næniis quid laceſſis ? Filiæ Hierusalē
quæcumque tandem eſtis , iniquè agitis cum
sponsa , nec mediocrem sponsi offensam in-
curretis , si animam fidelem cum ipſo quie-
ſcere cupientem , vestris turbis fabulisque ex-
citatis atque interturbetis .

Quartò , ægrotum nec ambulare , nec de-
liciari , nec quoquam proficiſci iuuat , & quæ
pridem maxima cum voluptate peragere
solebat , nunc vel incipere onerosum dicit :
ita amore languenti animæ quicquid eſt vo-
luptatis ac oblationis mundanæ totum
fordet , nauſeamque mouet . Semper enim
cum regio illo psalmographo dicere gaudet :
Renuit consolari anima mea (in rebus vide-
licet huius mundi) memor fui Dei , & dele-
ctatus sum & exercitatus sum , & defecit
spiritus meus .

Pſal. 76.

DE AMANTE

Quintò , omnium membrorum suorum impotens est ægrotus , viribusque corporis paulatim destitutus deficit : ita amore languens anima membrorum quoque suorum vsu quodammodo priuata est . Oculorum enim vsu caret , quos ab huius mundi vanitatibus contuendis (ceu à rebus lethiferis) indignabunda auertit . Aures non habet , ad futilles rumores percipiendos . Lingua caret , vt non statim quicquid sibi in buccam venerit , effutiat , neu fabulas vanas enarret , pedibus non vtitur , ad ambulandum vbi ridicula stultaque tractanda nouit . Nec ingenio viget , scilicet ad inania mente ruminanda , nec voluntate pollet ad huiuscmodi desideranda .

Sextò , ægrotus subinde suspirat , ingemiscit , anxiè conqueritur : ita languens anima diutinam sui à sponso separationem multis lachrymis grauibusque suspiriis semper prosequitur , impatienter ferens se tot annis à dulcissima patria exulem , sponsique sui præsentia carentem . Talis erat ille qui dicebat , Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est . Talis & is , qui disolui & esse cum Christo cupiebat . Item & alijs dicens : O quando veniam & apparebo ante faciem dei dilecti mei . Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum , ita desiderat anima mea

Psa. 119.

Phil. 1.

Psal. 4.

ad te

ad te Deus dilecte meus. Quamdiu dicitur mihi per singulos dies, vbi est Deus dilectus tuus? vbi est dilectus tuus? vbi est dilectus tuus? cur haec tenus tardat? quid illum moratur? Hisce atque eiuscmodi gemitibus in lectulo contemplationis requiescens, ad Deum dilectum suum anhela suspirat languens anima, ad quam ocyus ingressa Nutrix, ita ait,

QVOMODO ANIMA AMORE
inebriatur. Quartum charitatis opus.

Nutrix.

QVI vales filia? nūquid veluti prostrata à dilecto ægra recubas? Ipse tuus hoc me sponsus misit, quo dulcibus de illo sermonibus peccatus tuum non nihil refocillem. O vulnerata, inflammata, languescens anima, dixeram pridem sponsum tibi sese totum donasle, verum tu fortè iam ita tecum cogitas: Scio equidem olim ipsum sese mundo semel palam exhibuisse, interq; homines ut hominem conuersatum. At quid istuc mihi profuit, cui ea fœlicitate frui non contigit, ut illum hisce oculis præsens præsentem intuerer? Iam verò subtractus aspectibus nostris, hinc profectus, sacculum pecuniæ (ut ait Salomon) secum tulit, sacro-sanctum videlicet corpus suum diuinitatis

Prou.7.

D 5

thesauro

DE AMANTE

42

Luc. 14.

thesauro opulenter imbutum , nec domum
nisi in die plenilunij reuersurus est quum vi-
delicet electorum omnium numerus abun-
danter fuerit suppletus . Vnde fortasse dixe-
ris te interim quasi viduam desolatamque re-
linqui . Quid enim inquies mihi profuit , i-
psum se se mundo semel ostendisse , quem
mihi non iuuit vidisse ? O si nunc illum ali-
cubi reperire queam , quam lubens eò vel ad
vltimum terrarum angulum manibus pedi-
busque reptarem , vt vel eius vestigia (si non
osculari) faltem eminus intueri permitterer .
O filia mea Christi sponsa ne ita loquaris , ca-
ue te putas derelictam . Semel quidem pro-
misit promisumque suū bona fide comple-
bit dilectus tuus , se videlicet vsque in finem
sæculi tecum mansurum , & licet deceplurum ,
te tamen minime deserturum . Haud igitur
ceu vidua derelicta es , ô filia , sed sponsum
tuum adhuc tibi propitium , adhuc tibi præ-
sentem habes . Nam si nunc illum in cœlis
regnantem corporeis oculis intueri posse ,
videres nimirūm arctissimo amoris nexu e-
um adhuc tibi coniunctum , videres tuam
naturam gloriose in eo fulgentem , quam in
perpetuum suæ erga te dilectionis monumē-
tum , fidumque vinculi coniugalis inter te &
ipsum pignus , cœlis inuexit , ne tu videlicet
illi diffideres . Puluerem carnis tuæ diuinitati

suæ

suæ coniunctum retinet , nec vñquam deferet in perpetuum , & te derelictam conquereris ? Quod verò ipsum nec vides , nec sentis , tantò certe (vt ipse protestatur sponsus) beatior eris , si non videns , credideris tamen .
 Nam si carnem duntaxat corpusue illius solum intueri concupiscis , sensuali , vt ita dicam , adhuc affectu moueris filia , ad spiritus libertatem veramque perfectionem nondū profecisti . Si sponsi tui verbis fidem habes ,
 dicentem audi : Caro non prodest quicquā , spiritus est qui vivificat . Paulus verò sponsi intimus amicus , huic ita attestatur . Et si Christum secundum carnem cognouimus , sed nunc non nouimus . An ignoras filia apostolos quondam blandiloqua sponsi verba , decoram eius faciem , suauissimos mores , gratissimam conuersationem sensuali duntaxat amore prosequentes , ipso ab eis discidente , graui fuisse mōrere adobrutos ? Verū quid illis responderit sponsus , audisti :
 Expedit vobis vt ego vadam , si enim non abiero , paracletus ille non veniet ad vos ; isto scilicet carnali tantum amore me adamātes . Non igitur graue ac intolerandum tibi videatur ô anima , te hisce corporeis oculis sponsum tuum non vidisse : quandoquidem id saluti tuae magis expedit . Proinde nec te ceu viduam existimes derelictam . Nam &

Ioā. 20.

Iōan. 6.

6.Cor. 6

Ioā. 16.

spon-

Mat. 18.

sponsus tuus promisit, & vera est promissio eius. Vbi duo vel tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum, Angelos etiam tutores tibi designauit, ut ubique ac in omnibus tui curam agant, te protegant, illuminent, tibi inseruant, consilium praebent, tandemque ad vitam æternam te perducant. Venerandum corpus suum quotidie tibi in cibum praebet, sanguinem suum in potum ac in ablutionem remissionemque omnium peccatorum tuorum, sanctissimam animam suam in perpetuam tui cum Patre suo celesti reconciliacionem, omnipotentem diuinitatem suam in præmium æternæ salutis tuæ. Porro sacramenta Ecclesiæ quæ ex sacratissimo pectore suo, profundo vulnere sauciato emanare permisit, ad tuam itidem æternam salutem ordinavit. Et primò quidem baptismum ceu ianuam reliquorū in remissionem peccati originalis, Confirmationem addidit, ad te in virtutibus roboram, Venerandum quoque corporis sui sacramentum ad animarum nutrimentum, Pœnitentiam (veluti secundam tabulam post naufragium) ad quotidiana peccata abolenda. Spiritum sanctum in pignus & arrabone futurae hæreditatis elargitur, veluti certiores nos faciens aliquando tandem in veram regni sui possessionem admittendos. Pro-

inde

inde obticesce filia, querelarum ansam nullam habes, nulla re amplius onin in indiges. Quinam enim per Deum immortalem maiora tibi facere posset sponsus, quam fecit? Imo quod omni prodigio magis stupendum est, haec eadem quæ fecit, & quæ passus est, si opus foret, iterato & facere & perpeti mallet, quam suapte culpa salutem tuam in discrimen venire permitteret.

Anima.

Fateor equidē, dilecta Nutrix, chartis Sibyllæ certiora esse quæ assleris omnia, quæque in hoc argumentum adhuc dici possent multò plura, ac proinde ob horum ut dixi recordationem tota langueo. Primo, quod dignas illi pro his omnibus gratias referre nequeam: deinde amore quoq; langueo, quod tam perfecto quam debui amore ipsum non dilexerim: Postremo metu quoque & dolore langueo, veritate haec tam insignis mea tepiditas illi nauseam moueat, meque nec calidam, nec frigidam, sed tempore quodam inordinato ex utroque permixtam, euomat ex ore suo. Nam & si fortasse calidi non nihil amoris intrà me persentiscam, haud tamen hic tantus tamque feruidus est atque deberet, & oscitanter à me custoditus, dicto ciuitus refrigerescit ac deficit. Quum itaque nihil

Apoc. 3.

in me

in me penitus quod illi gratum esse, quodque immensis illius in me beneficiis vel ex millesima parte respondere queat, inueniam: haud iniuria & pudore suffundor, & timore tota contremisco, ne aliquando mei satur veluti naufragabundus indignam euomat atq; abiiciat.

Nutrix.

Audi filia quid ipse tibi dixerit sponsus.

Esa. 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio veteri sui? Et si illa obliterata fuerit ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, & in sinu meo portabo te, quemadmodum si nutrix portet infantem suum. Proinde certò scias amantissima anima nihil æquè displice re sponso tuo, atque pusillam in eum fiduciam. Nunquid te seruauit ac redemit, vt te deserat? Nunquid te prædestinavit, vocauit, iustificauit, vt abs te discedat? Nunquid te sibi in filiam, in amicam, in sponsam denique dilectissimam adoptauit, vt tui obliuiscatur? Nunquid te liberam, spiritus sancti participem, regni sui consortem fecit, vt abiiciat? Cæterum vt hic tibi metus imò pusillanimitas mera eximatur, consulo filia, vt sponsum ipsum audias clamantem: Veni ad me inquit dilecta mea, comedere amica

No.

Rom. 8.

Cant. 5.

mea,

mea , bibe inebriare charissima. Vinum istud
inebrians , est inexhausta ipsius misericordia
atque benignitas. Olim siquidem quum pri-
or tu ab eo defecisses , vt amator vitæ & non
mortis tuæ , nequaquam merita te poena da-
mnata perdere voluit , sed patienti longani-
mitate diu te expectans , quotidie nunc in-
tus nunc foris , per creaturas , per scripturas ,
minitans , blandiens , vt redires clamauit.
Quæ licet clamantis vocem dissimulans , ani-
mo pertinaci regredi recusares , nihilominus
te expectans clamorem suum iteravit. Demū
quum te iam ad iter salutis capessendum ac-
cinxiles , quam paternè , quam amanter tibi
obuiam procurrit ? brachiis suis te amplexa-
tus , quantò cum gaudio te suscepit ? Cogita
igitur quibus meritis tuis te saepius quam alio-
s vocauit , qui nihilo grauius , imò etiam
multò minus te aberrarunt : Deinde cur aliis
in errore derelictis , te solam vocauit ? cur
hanc tibi gratiam præ aliis concessit ? quo
peccadi occasiones (quibus miserè irretiun-
tur alij) tibi ademit ? à quam enormibus té-
tationibus (quibus sepius numero supplantan-
tur alij , tuque procul dubio prostrata fuisse ,
nisi diuina ipsius prouidentia præmunita fu-
isse) te præseruavit ? Postremo cur aquila-
rum tibi addidit alas , vt è mundi turbine in
solitudinem euolares , quum alios interim

multò

multò te meliores in turbulentō huius mūdi pelago fluctuare sumergique permiserit? O anima vnde isthæc in te potius quām in aliis fuerunt merita, quum tamen omnes pariter peccatores, & oues perditæ esletis? Hæc igitur atque huiuscemodi sæpius pensa, hoc subinde vino inebriare anima charissima. Cogita si tibi præ aliis tanta præsttitit spōsus, tuæ profectò salutis admodum sitibundus est atque solicitus. Si te non est aspernatus, quum illius tu vltrò fuisse oblita, quum illū neque nosles, neque desiderares, quantò minus nunc non aspernabitur aut abiiciet, quū illum vt creatorem agnoscas, vt patrem desideres, vt sponsum adames, ampliusque adamare concupiscas? Hoc igitur suauissimo diuinæ gratiæ vino inebriare amantissima anima, quod super lac suave, super mel & fauum dulce erit ori tuo. Hic calix Domini omnes inebrians, papè, quam præclarus est? Hæc plane vbera sunt sponsi, meliora, vt ipsa asserit sponsa, vino, fragrantia vnguētis optimis. Reuera enim manant vino & lacte. Veni ait quedam (apud sapientiam) inebriemur vberibus.

Pf. 118.

Psa. 22.

Cant. I.

Prou. 7.

Iam verò his potissimum diuinæ gratiæ vberibus tum laetatur sponsa, dum innumerabponsi beneficia secum volutat ac recognitat, quot videlicet ex gratuito suo amore

inter-

internas inspirationes ipsi immiserit, quot peccandi occasiones ademerit, quantam bene agendi oportunitatem illi præ aliis concesserit, quam copiosam sui cognitionem, suæque charitatis dulcorem infuderit. Horum inquam & id genus innumerabilem recordatio, sicera illi, vinumq; ex variis virtutum aromatibus conditum efficitur, quo affatim hausto, grauiter inebriatur.

Nam quemadmodum vino inebriatus sibi Cræsus videtur, etiam si Leberide sit nudior: ita Diuino amore ebria anima se ditissimam, nulliusque omnino rei indigam arbitratur, cogitans si omnipotens ille monarcha tanto me prolequitur amore, adeoque pro me solitus est, ut seipsum mihi totum cum vniuersis gratiis suis donauerit, quid mihi iam obesse, quid decelle poterit? Non vel omnium calculis, regibus vniuersis potentior existo?

Secundò, ebrij onines animosi atque audaces ferè sunt, sic amore sponsi ebria anima, nullum omnino metuit, nihil non audet. Huiuscemodi ebrium, si lubet, audias clamantem: Si Deus pro nobis: quis contra nos? Itemque alterum: Dominus mihi adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos. Nullius etenim hominis aut

Rom. 8.

Psa. 117.

Gal. i.

iras metuit, aut fauores ambit anima, amoris diuini calice inebriata, cogitans cum Paulo: Si adhuc hominibus placerem, Christi seruus non essem.

Tertiò, liberalis & omnium penè prodigus est homo ebrius, nullum sibi defectum aliquando euenturum formidat, ita amore diuino inebriata anima quæcunque habet derelinquere, nudumque Christum nuda sequi paratissima est. Cælum, terra cum omnibus quæ in eis sunt (citra dilectum suum) tantum illi voluptatis adferre nequeunt, quantum vna quæuis de dilecto suo cogitatio.

Quartò omnium ariteactorum facile obliuiscitur homo ebrius: ita diuino ebria amore sponsa, omnes huius mundi voluptates ac delectiones, quascunque alicubi vidit vel audiuist, perpetuæ tradit obliuioni, Memoria quippe dilecti sui adeò illam tota occupauit, ut eiuscemodi nugamenta nullum in ea locum inueniant.

Quintò comem se affabilemque cunctis præbet ebrius, omnibus ad blanditur: sic anima amore ebria, humanam se placidamq; erga omnes exhibens, sponsi sui gratia (cuius imago & creaturæ sunt) vniuersos indiscriminatim adamat, tantoque animi candore ac benevolentia prædita est, ut in sin-

gulis

gulis hominibus præcipue bonas quasdam conditiones, gratiasque quas veneretur & amet, animaduertat, ea quoque sponsi sui certa donaria esse agnoscens.

Sextò si omnis ille quisquis bene potus est, iucundus & hilaris corde est: quantus tum putandus est iubilus ille & exultatio spiritus diuino amore ebrij? Profectò tantus, vt nullus id dignè enarrare sufficiat nisi is solum, qui aliquando gustare meruit & videre quam suavis est Dominus: quorum unus hoc poculo probe exhilaratus, ita ait, Nemo nouit, nisi qui accipit. Et omnium quos tellus sustinet flagrantissima sponsa hoc amore tota deebriata recinit dicens. Magnificat anima mea Dominum: Et exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Huic scemodi animæ nihil plane vnde turbetur, aut mœrore aliquo afficiatur accidere potest, rullas tristitiae causas nouit, certò persuasa, omnia ista accidentia, vti Paulus ait, electis cooperari in bonum. Animaduertens ergò Christi sponsa, se pridem tam turpiter profugam & errabundam, nunc demum per sponsum suum in semitam rectam, veraque creatoris sui cognitionem reductam, dicinon potest quantopere exultet in spiritu, quantasque sponso suo gratias agat, qui illius & meminiisse, & lumen vultus sui illi in-

Apo. 2.

Luc. 1.

Rom. 8.

fundere dignatus est. Vnde vniuersam huius mundi vanitatem vilitatemque perbelle agnoscens, omnia iam contemnit & execratur ut stercore, quæ prius amplexabatur ut chara & pretiosa, quo Christum sponsum lucrifaciatur.

QVOMODO ANIMA PRÆ AMORE extra se raptasoporatur. Quin tum charitatis opus.

QVINTUM amoris opus est, ut hominē per excelsum quandam extra se rapiat. Nam quum alicui rei studiose quis intendit, nec transeuntem aliquem certit, nec se alloquentem animaduertit. Sensibus enim aliquo negocio penitus occupatis ad aliud se confessim extendere nequit, sed apertis oculis nihil videt, auribus patulis nihil auscultat, imò ad omnia veluti stupidus extraque sensum efficitur. Id plerique vocant excelsum seu ecstasim mentis, in qua per attentām dilecti sui recordationem frequenter rapitur amās anima. Hic est somnus animæ placidissimus, de quo sponsus ipse filias Hierusalem adiurat, ne suscitent neque cuigilare faciat dilectā, quo ad vñq; ipsa velit. Quæ huiuscemodi somno ecstasique teneatur anima, nec audit, nec intuetur, sed veluti stupida & insensibilis per excelsum extra

Cant. 2.

fe ra-

ie rapta , videns cœca est , audiens surda ,
 sciens nescia . Si quid vspiam viderit vel audi-
 erit in mundo ad dilectum suum non atti-
 nens , id minimè curat , non animaduertit .
 Nil videre , nil audire desiderat , nisi quod
 ad dilectum sponsum suum vel attineat vel
 ad eundem perducat . In rebus vanis , in ne-
 gociis mundanis altum obdormiscit , cœca ,
 surda , muta , ac plane insensibilis extra se
 tota . Sin alicubi dilecti sui vel leuis mentio
 fiat , ibi protinus exergiscitur ac aures arri-
 git . Anima enim illius est , non vbi animat ,
 sed vbi amat , vbi thesaurus , vbi dilectus
 suus est . Si de rebus mundanis aut curio-
 sis inaniter blateret alij , apertis auribus
 quæcunque narrentur non attendit . Cor
 enim illius rebus potioribus vacat . Huiuscē-
 modi soporem ecstasique desiderabat spō-
 sa in canticis dicens . Indica mihi , ô tu quem
 diligit anima mea vbi pascas ? vbi cubes in
 meridie , vt cubem tecum . Huiusmodi so-
 pore tenebatur amans illius præ cunctis à
 sponso dilecti discipuli anima , quum in eius
 pectore reuera latte & melle manante recū-
 bens , incompræhensibilem illam sapienti-
 am inde exuxit , quam postmodum ad totu-
 ris mundi refocillationem abunde effudit .
 Huiusmodi somnum dormiuit primus ille
 omnium nostrum parens Adam in paradiſo ,

Cant. I.

Ioan. 13.

Gene. 2.

in statu adhuc primævæ innocentia, summaque illa perfectionis dignitate constitutus.

A&C. 9. Huiusmodi stupore soporatus fuit Apostolus Paulus, qui raptus in tertium cœlum audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui.

Ez. 33. In talem ecstasi raptus fuit egregius ille propheta, qui cum Deo quadraginta diebus ore ad os loquebatur, non sanè per umbram aut in ænigmate, sed aperte, sicut so-

Mat. 17. let amicus ad amicum loqui. Talem stuporem passus est in monte Thabor ardentissimus sponsi amator Petrus, quum eundem in gloria & maiestate sua transfiguratum cernens, per excessum extra se raptus, ex abundantia lætitia ait. Domine bonum est nos hie esse. Faciamus hic tria tabernacula. Porro ipso Euangeliſta attestante, haec dixit nesciens quid loqueretur. Somnolentus enim & mente alienatus, ac veluti in ecstasi quadam loquebatur. Quæcunque pridem viderat vel audierat in mundo, perpetuæ obliuioni tradiderat, adeoque despicerat, ut præ omnibus nil aliud in votis habere videretur, quā illic sponso suo Christo perpetuo cohabitare. Somnolentum vero fuisse, vel inde liquet, quod ipsa etiam verba, quibus se ad moriendum non ad illic commanendum venisse, toties attestatus fuerat Dominus, penitus illi exciderant. Cæterum miraris

tortafie

fortasse cur soporem hunc , non nocturnū ,
non matutinum , sed meridianum sponsa
nuncupet ? Haud inquam præter rationem .
Nam in meridie sol omnium feruentissime ,
splendidissime , altissime in sua sphæra reful-
get : sic in dulcissimum huius excessus sopor-
rem sponsa peruenire nequit , nisi feruentis-
sima prius charitate Dei & proximi succen-
sa , nisi splendidissimis solis iustitiae radiis il-
lustrata , nisi in altissimo virtutum omnium
folio consistens . Istud profectò epulum om-
nium est deliciosissimum , supremaque om-
nium fœlicitas , quæ in hoc mundo sponsæ
contingere potest . Gustus enim quidam est
cœlestium voluptatum , fruitioque ample-
xus sponsi . Istud est quod præ omnibus po-
tissimum desiderat sponsa . Verum proh do-
lor , adeò raro , adeò tenuiter ac momenta-
nè hac illi suauitate fruilitet , ut eam prius-
quam se percepisse sentiat , amittat .

QVOMODO ANIMA PRÆ A-
more liquefiat . Sextum cha-
ritatis opus .

P Oste aquam igitur ex hoc dulcissimo so-
pore euigilans anima ad sese reuertitur ,
tum plane quod dici solet ab equis ad
asinos è nuptiis in ergastulum , è cœlo in
hanc lachrymarum vallem se collapsam ex-

Cant. s.

peritur, hinc protinus querelæ & gemitus
 & plurima mortis imago, ob subito amis-
 sam suauissimam sponsi præsentiam, cuius
 vnicum duntaxat osculum tantæ sibi fuerat
 voluptati, vt præ illius adhuc in summis si-
 bi labiis hærentis gustu, vniuersam huius
 mundi lætitiam tormentum sibi reputet gra-
 uissimum, gaudium omne, dolorem: om-
 nem voluptatis dulcedinem, absynthium:
 omnem oblectationem, exilium. Et quem-
 admodum puer lactens à maternis auulsus
 vberibus plorat, eiulat, & quibus potest
 indiciis, suam sitim conqueritur: sic anima,
 cui vbera cœlestis nutrimenti sunt subtracta,
 querelis & suspiriis protinus omnia replet,
 amissas delicias iterum quæritans. Nam à
 somno spirituali euigilans (vt ferè fieri so-
 let) ingenti iterum fame sitique cruciatur,
 adeò vt præ maximo semel gustatæ volu-
 ptatis appetitu in fese colliquefcens, ad om-
 nem huius mundi functionem vsumque in-
 habilis stupidaque fiat, nisi duntaxat ad so-
 lum cogitandum solum desiderandū quem
 amisit dilectum suum, id vnum toto studio
 anhelans, vt suauissimam eius fruitionem
 quoquis pacto iterum recuperet, dicens cum
 sponte in canticis: Anima mea liquefacta
 est, vt dilectus locutus est. O mellifluum
 flagransq; illud sponsi eloquium quod tam

iancta

sancta oblectatione , dulcique adeò affectu liquefacit amantem animam. Id autem eloquium aliud esse non puto , nisi internam diuini paracleti consolationem , ac spiritum illum (vti Paulus ait) adoptionis filiorum Dei , per quem clamamus Abba Pater , qui testimonium reddit spiritui nostro , quod sumus filii Dei , hæredes regni cœlestis , co-hæredes autem Christi. Istud eloquium interna sponsi est inspiratio , qua promissionibus fidei illius promissoris (qui & possit & velit promissum suum fideliter adimplere) fortiter fudit , & qua se interim in hac peregrinatione consolatur fidelis anima. Istud eloquium vncio est spiritus sancti , per quā talia tantaque mysteria fidelis anima edoceatur intus , quanta mortalium nullus vñquā , nisi spiritu Dei imbutus percipere queat in hac vita , imò quæ nec oculus vidit , nec auris audiuit , nec in cor hominis ascenderunt , quæ amanti animæ & hic ex parte gustanda concedit , & in posterum plenis faucibus haurienda propinabit Deus. Ea inquam est fruitio perpetua dilecti sui , bonum profecto vniuerla bona continens , bonum & suapte magnitudine immensum , & multitudine infinitum , & duratione æternum , Vita viuens , vita beata , quieta , pacifica , vernausta , pura , desiderabilis , vita omnis do-

Rom.8,

Esa.29

J. Cor.1.

loris & corruptionis expers, omnis timoris, perturbationis, mutationis nescia, vita plena omni decore, gratia, pace & amore, vbi fames æterna sine cruciatu, perpetua satietas sine fastidio.

Psal. 83. Vbi dies vna melior quam hic multa annorum millia, vbi glorioius est infimum, quam hic supremum tenere locū, vbi splendor æternus qualis reuera in se est conspicitur, vbi sumnum bonum ex totis animæ viribus adamatur, vbi perpetua summae maiestatis fruitione sine metu amittendi anima lætatur. Quum ad istum inquam modum amanti animæ loquitur, suaque reuelat mysteria sponsus, quid mirum si tota præ nimio suavitatis affectu liquefiat? dicens, Factum est cor meum tanquam cera liquefcens in medio ventris mei. Nec iniuria.

Psal. 21. Ignis enim applicata quonam pacto perduraret, vt huius calore dissoluta, statim non colliqueceret? Itaque & vi amoris, & nimia sua teneritudine deficiens atque impos sui effecta amans anima, aliud quicquam agere nec valet, nec idonea est, nisi id solū vt cogitet de dilecto suo. Istud pulcherrimè nobis adumbratum legimus in regina illa speciosissima Hester, quæ ad maritum suum regem Asluerum ingressura corpore adeò tenero, adeò imbecilli ac delicato inuenta est, vt aslumpta sibi ancillula (cui innitetur)

Hest. 15.

)

tur) opus fuerit, quasi præ delitiis & nimia
teneritudine corpus suum ferre non sustine-
ret. Ingressa igitur (vt habet textus) cuncta
per ordinem ostia, è regione regis, in ipsa
aulæ ianua (vbi ille super throno regni sui o-
stro refulgens & auro, vestibus regiis, gem-
misque preciosissimis redimitus confidebat)
venusta constitit, laetumque ceu pudefacta
atque conterrita super ancillulam reclinavit
caput, humiliatio qui collapsura, ni à puella
fuisset sustentata. Quo conspecto festinus è
solio rex exiliens, auream virgam in signum
clementiæ, in collum trepidantis deposuit,
mediamque reginam vlnis suis amplexam
sustentans, donec ad se se rediret, his illi ver-
bis blandiebatur dicens : Quid habes Hester
regina ? ego sum frater tuus, noli metuere.
Et osculatus est eam, & ait : Cur mihi non
loqueris ? Quæ respondit. Vidi te domine
mi, quasi Angelum Dei, & conturbatum
est cor meum præ timore gloriæ tuæ. Valde
enim mirabilis es Domine, & facies tua ple-
na est gratiarum. Aspergimus, ipsissimam salutē
(Deum videlicet in quo omnis nostra salus
sitæ est) significat. Hester vero, præ aliis exal-
tatam, designat. Ea nimis est rationalis
anima præ reliquis creaturis eo dignitatis c-
uecta, ut in regni cœlestis consortium velu-
ti omnium regina sit assumpta. Hester igitur

Asper-

Aſluerum videt in gloria ſua , quum ſublimitatem maiestatemque ſponsi ſui contemplans fidelis anima conturbatur ac obſtupeſcit , nil in ſe tanta magnificentia dignum inueniens . Sustentatur tamen à ſpe firma ceu à pediſſequa ſua , ne desperet , aut in puſilla nimitatem aliquam corruat . Nam & ſi nul- lam in ſe dignitatem , merita nulla reperiat fidelis anima , attamen in Dei ſperans bonitate , ſponsi ſui promiſſis firmiter inhæret , ea que interim fidučia fulcitur ne corruat . Sic

Pſa. 118. Dauid : Memor inquit eſto verbi tui ſeruo tuo , in quo mihi ſpem dediſti . Hæc me conſolata eſt in humilitate mea . Ita Aſluerus Hester , ſponsus ſponsam , Christus fidelem animam conſolatur dicens : Noli timere , ego tecum ſum , quiſ tibi nocere poterit ? O puſillanimis quid trepidas ? ego ſum frater tuus , tu ſoror mea , hæres regni mei , conſors hæreditatis meæ . Item ſicut Hester Aſluerum intuita diademate purpureo auroq; fulgentem defecit ac corruit : ſic ineſtabilem illam ſponsi ſui maiestatem , glorioſas ipsius opes , deliciasqne inexhaustas recogitans anima , præ nimio deſiderio collabitur , ac plane in nihilum ſuum deficit , quemadmodū Dauid quoque ait : Defecit caro mea & cor meum Deus cordis mei , & pars mea Deus in æternum . Quid enim mihi eſt in cœlo , &

à te quid volui super terram? Defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum superisperauit. Defecerunt oculi mei in eloquium tuum: dicentes, quando consolaberis me? De hac defectione seu liquefactione idem propheta alibi ait: Liquefacta est terra & omnes qui habitant in ea. Cor amantis animæ terra dicitur ratione creationis. Habitantes in ea liquefacti, sunt Intellectus & Voluntas. Intellectus amantis animæ liquefit ac deficit in contemplatione maiestatis sponsi, quandoquidem illius sublimitas nec ratione comprehendendi, nec intellectu peruestigari potest. Scientia deficit, scientia omnis hallucinatur. Porro voluntas deficit, prænimio videlicet illius boni desiderio, cuius iam gustum quandam tenuemque haustum in hac vita est experta. Ad hæc idem quoque propheta adiecit dicens: Ante faciem frigoris tui (quod videlicet quibusdam immittis) ô Domine quis sustinebit? Sed iterum quū tibi collubitum fuerit, emittes inquit verbum tuum & liquefacies ea, flabit spiritus tuus, & fluent aquæ. Nil æque amanti animæ contrarium est, atque cor frigidum, cor habere congelatum. Papè quam deplorandum, quam perniciosum est tale cor intus possidere. Nam quemadmodum cera frigore aut vetustate nimia obdurata, nullam im-

Psa. 118.

Psal. 174.

Pl. 347.

ginis

J. Reg.

J.

Ioa. 14.

Ioa. 15.

Mat. 19

Mat. 5.

ginis impressionem suscipit, ignis vero calore permollita ac liquefacta, quarumcunque impressionum susceptibilis est: sic anima peccatorum frigore obsita, ac in sua perueritate obstinata perseverans nullam gratiae diuinæ impressionem suscipere potest: amore autem Dei iterum liquefacta, dicto citius internam spiritus sancti inspirationem suscipit, dicens cum Sainuele propheta: Loquere Domine quia audit seruus tuus. Quantumuis enim leuiter, quantumuis molli iectu fores cubiculi interni pulset sponsus, protinus auditur ac intromittitur. Imago nanque ipsius omnium absolutissime in tali anima expressa est, cuius cor veluti cera liquefens molle ac tenerum est. Verbum tuum, inquit psalmographus noster, liquefaciet eam. Istud est verbum sponsi quo ait. Vado parare vobis locum, ut ubi ego sum & vos sitis. Et illud. Pater volo ut ubi sum illic & minister meus sit. Et, Erunt sicut angeli Dei in cœlo. Item, Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc atque huiuscemodi sponsi verba, præ deuotione spirituque dulcedine totam liquefaciunt amantem animam. Flabit spiritus tuus inquit, & fluent aquæ. Cor enim talis animæ huiuscemodi verbis sponsi liquefactum, in lachrymas protinus dissoluitur, lachrymas inquam

com-

compunctionis, compassionis, deuotionis.
 Talibus lachrymarum fluentis scaturiebant
 oculi Dauidis, talibus Magdalena haud se-
 cus ac si corda eorum liquefacta, ac in lachry-
 marum fontes tota fuissent conuersa. Hinc
 ipse conquerebatur dicens: Fuerunt mihi la-
 chrymæ meæ panes die ac nocte, dum dici-
 tur mihi quotidie ubi est Deus tuus? Item-
 que: Lauabo per singulas noctes lectum
 meum, lachrymis meis stratum meum riga-
 bo. Super flumina inquit Babylonis illic se-
 dimus & flevimus, Illic sedet liquefacta a-
 nima & plorat, dum recordatur Sion. In sa-
 licibus in medio eius suspendit organa læti-
 tiae luæ, dumque interrogatur verba canti-
 onum, respondet. Quomodo cantabimus
 canticum Domini in terra aliena? Si oblitus
 fuero tui Hierusalem obliuioni detur dexte-
 ra mea. Adhæreat lingua mea faucibus me-
 is, si non meminero tui. Sic amans anima
 quandiu in hoc exilio degit, cantica lætitiae
 nulla nouit, voluptates, delicias, & cæte-
 ra omnia, respuit, Hierusalem cœlestem,
 patriam suam solam cogitat, illam continue
 suspirat, anhelat, desiderat. Porro istud li-
 quefieri longè præstantius est, quam (id
 quod supra diximus) ægrotare. Quod enim
 liquefit, pristinam formam amittit, pene
 ad nihilum redigitur, ac (vti Paulus ait)

Luc. 7.

Psa. 34.

Psal. 6.

Psa. 136.

Gala. 6.

in mundo toti moritur : ita quicquid in anima est sensualis affectionis , quicquid mundanæ voluptatis, adeò semel totum colliquecit ac deperit , vt illius nec gustum , nec sensum aliquem amplius anima percipiat , sed cum Paulo dicat . Viuo iam non ego , viuit autē in me Christus. Ea verò anima dicitur liquefacta , quæ ad omnem huius mundi functionem operaque carnalia peragenda plane obstupuit , atque extincta est. Et quemadmodum nix solis calore facile colliquecit ac in aquam tenuem resoluta , in terram defluit ac absorbetur , vt illius ne minimum quidem vestigium vsquam conspiciatur: ita in huiuscemodi anima , omnia sensuum carnisque irritamenta penitus liquefiunt ac deficiunt , vt neque aggredi , neque perficere quicquam possit , nisi de solo cogitare dilecto , loqui de dilecto , audire de dilecto suo. Imò veluti mortuum quoddam cadauer , sic nullo gaudio exhilaratur , nullis iniuriis , aduersis , doloribus deiicitur , vereque iam illud Sapientis dicere potest : Traxerunt me & non sensi , vulnerauerunt me & non dolui. O beatam animam ita liquefactam , ita mortificatam , vt hominibus vniuersis extincta , soli viuat dilecto suo. Quæ obsecro vita huic morti est conferenda ? Neminem sanè ve- rius viuere arbitror , quam ita liquefactum

Gala.2.

Pro.23.

ita mor-

ita mortificatum. Hi nimirum sunt, qui ab hominibus quidem irrisi, contempti, iudicia & verbera sunt experti, sed quos de hoc mundo Christus elegit. His sunt iusti (iuxta Diui Iobi sententiam) quorum hodie (proh dolor) simplicitas irridetur. Hi sunt, ut Apostolus Paulus ait, quibus dignus non est mundus, qui se hic aduenas & peregrinos agnoscentes in terra, patriam supernam multis interim gemitibus & suspiriis eminus quotidie salutant.

Q V O M O D O A N I M A P E R A-
morem sponso tandem coniungitur.

Septimum charitatis opus.

Postremò benignissimus ille Dominus, qui in finem miserationum suarum non obliuiscitur (posteaquam diuersis tribulationibus amantem animam diu satis exercuit, ac veluti aurum in fornace electā probauit) haec tenus probe dissimulatum a morem suum diutius occultare non potest. Sed quemadmodum Ioseph olim aliquando alienum sese & implacabilem fratribus suis ostendens, illorum conspecta angustia & dolore, nequaquam se vltra continere potuit, vicit natura, vicit sanguinis coniunctio, charitatis venæ commotæ sunt, lachrymæ proruperunt, tandemque inquit: Ego

Heb. 11.

Ioa. 14.

Iob. 32.

Heb. 11.

Eph. 2.

Gen. 45.

sum Ioseph frater vester. Adhuc pater meus
 viuit & ac in singulorum colla ruens, blande
 amplexatus, & fraterno eos affectu est exo-
 sculatus. Ita omnipotens illa Dei maiestas,
 quæ posteaquam gratissima collocutionis
 suæ familiaritate sponsæ furtim subtracta
 (quo videlicet eius affectum ad suam præ-
 sentiam ardentius iterum requirendam ac-
 cenderet) alienum sese ac subausterum illi
 exhibuerat, ex ingenita tamen bonitate sua
 diutius differre non potest, quin clamantem
 suspirantemque sponsam propitius exaudi-
 at, ad sese trahat, sibique in charitate per-
 tua coniungat. Tum sanè verissime adimple-
 tur illud Apostoli verbū quo ait: Qui Deo
 adhæret, unus spiritus est cum eo. Siquidem
 tunc illius est precatio exaudita, qua diu
 clamauit ad sponsum dicens: Trahe me
 post te, trahe me post te, trahe me post te.
 Nunc enim accepit, quod tam importune
 semper affectauit sponsi osculum. Et primò
 quidem plus satis sibi esse videbatur, si ad e-
 ius duntaxat pedes osculandos admittere-
 tur, hoc est, si cum Magdalena omnium su-
 orum peccatorum veniam ad sponsi pedes
 adipisci mereretur. Quod allequa, haud
 ibi constitit, sed proprius adhuc sponsum
 contingere contendit. Manus quoque eius
 osculari affectauit, manus inquam illas, quæ

I. Cor. 6.

Luc. 7.

omnia

omnia quibus imponuntur viuificat , manus quæ stillant myrthā , & digiti eius myrtham probatissimam , hoc est , decore omnium virtutum exornati , ac veluti inops mendica de manibus munificentissimi sponsi spiritualem fuscipere eleemosynam desiderauit . Hoc percepto videbatur quietura , verum inde maiora adhuc postulare ausa , sponsum multò propius adhuc attingere desiderat continue clamans . Osculetur me osculo oris sui , perinde ac si dicat , Non mihi sufficiunt pedes , non manus , quæ flagrati desiderio meo satisfacere nequeunt , mellifluum illud os eius oculari concupisco , quod nisi accepero , clamandi nullum faciam finem . Principio quidem quærebat , sicubi forte dilectum suum conspiceret , vbi vidisset , etiā alloqui expetebat , alloquuta (quū dixisset . Anima mea liquefacta est , vt dilectus loquitus est) ne sic quidem placari potuit , sed familiariter solo sponso sola frui cupiens , ex ingenti desiderio clamat : Quis mihi det te fratrem meum , fugentem vbera matris mæ , vt inueniam te solum & exosculer , & iam me nemo despiciat ? O amore feruentissima anima , reuera cortuum desideriis plenum ac delitarum appetentissimum est . Audax sanè ac parum verecunda mihi videreris , nisi id amori imputandum esset ,

Cant. 5.

Cant. 1.

Cant. 6.

Cant. 8.

qui audacem ac temerariam facit, qui nec dignitatem nec celsitudinem dilecti attendit. Ideoque istum tuum amasium non Dominum, non patrem, sed solum nuncupas dilectum tuum. Qui si Dominum fese tibi exhiberet, famulæ utique Dominus extimendus eslet, si Patrem, filiæ pater verendum. At qui inter dilectum & dilectam, intersponsum & sponsam nullus timor, reuerentia nulla, sed solus intercedit mutuus amor.

Itaque quod tanta hactenus importunitate ex amore flagitauit Christi sponsa, nunc demum accepit osculum. Exorantem enim dilectam suam diutius repellere non potuit ille qui dixit. Ego diligentes me diligo. Et, Prou. 8.
Ioan. 7.
Esa. 55. Qui sitit, veniat ad me, & bibat aquam vitæ gratis, absque vlla commutatione argenti & auri.

Sic post multa tandem suspiria accepto osculo introducitur amans anima in cellam vinariam, vbi in diuersis dolis diuersa vina sunt deposita, dicente sponso: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Aliud vinum potatur ab iis, qui in infimo angelorum cho-ro, aliud ab iis qui in supremo versantur. Nihilominus ex omnibus tamen vasis sponsæ propinatur, ut pote vniuersæ lætitiae quam habent tam summi quam infimi fit particeps, ac singulorum saluti ex animo

con-

congaudens, vinum quod non habet per
 suum laborem accipere meretur per amore
 qui omnia fecit communia. Tunc verè dice-
 re potest cum Judith : Bibam Domine mi,
 quia hodie lètificata est anima mea præ o-
 mnibus diebus vitæ meæ. Propinatur enim
 illi vinum conditum, vinum efficax, & fa-
 cilè inebrians ex variis scilicet virtutum aro-
 matibus mixtum, quod profecto adeò to-
 tam opplet atque inebriat animam, ut om-
 nium iniuriarum, dolorum, tribulationum
 huīus mundi facillimè obliuiscatur, ac iam
 verè cum sponso quiescat in lectulo, qui vt
 ipsa inquit (in Canticis) floridus est. Huius
 lectuli ceruical, vel Bernardo teste, pax est.
 Pape quām secure quiescit, qui in hoc mol-
 lissimo pacis ceruicali obdormiscit. Lectulus
 ipse conscientiæ puritas est, tegumentum se-
 curitas, qua nimirum certa efficitur anima
 se nunquam hanc pacem amisuram. Hunc
 floridum pacis lectulum sexaginta fortis
 ambiunt ex fortissimis Isræl, vt pacificus i-
 ste Salomon securè cum sponsa sua obdor-
 miat. Posthac autem nequaquam dicit am-
 plius sponsa sodalibus suis: Filiæ Hierusalé
 fulcite me floribus, stipate me malis! Nam
 priusquam ad sponsi fuislet lectulum admis-
 sa, flosculis interim ac malis (vti solent pu-
 ellæ sodalibus colludentes) fese oblectabat.

Judith

12.

Cant. 8.

Cant. 3.

Cant. 2.

DE AMANTE

At verò ubi optato sibi sponso esset potita,
sodalibus pristinis, flosculis, malis, reliquisque
pueritiae crepundiis neglectis, huic soli
copulari, soli intendere anhelat. Flores verò
quibus absente sponso fulciri interim desiderat
sponsa, spiritualia scripturarum sunt
documenta. Mala sunt consolatoria dilecti
sui promissa, de quibus & audire & loqui
desiderabat cum sodalibus suis. Iam verò
ad sponsi lectulum admissa, huiuscemodi
amplius, nec documentis, nec promissis in-
diget: Facie enim ad faciem dilectum suum
affidue contemplans speculum illud sine ma-
cula, lucemque inaccessam irreuerberatis
oculis semper intuetur, semper illi (cuius
labia fauus distillans, sub cuius lingua mel
& lac) familiarissime colloquitur. Vnde exul-
tans cum gratiarum actione ait: Ecce dile-
ctus meus loquitur mihi. Dilectus meus mi-
hi & ego illi. Perinde ac si dicat. Apprime
placet mihi dilectus meus, & ego illi vicis-
sim perplaceo. Ego, cuius gratia innumera
dilectus tolerauit & fecit, & ipse vicissim
propter quem ego quoque plurima feci &
pertuli. Ego dilecto, quam ipse desiderat,
& ille mihi vicissim quem ego vnicē deside-
ro. Ego de dilecto cogitavi, eundemque ada-
maui, & ipse vicissim de me cogitauit, meq;
singulari dilectione adamauit. Ego inquit

Cant. 4.

Cant. 2

dile-

dilecto meo , & ad me conuersio illius. Antea quidem me neglexisse videbatur , nunc verò totus ad me conuersus est. Post diutinas igitur longasque peruestigationes , nunc tandem reperi , quem diligit anima mea. Reperi inquam & tenui , nec vnquam à me dimittam.

Cant.7.

Hic quidem dilectum suum sponsa vide-re , alloqui , ac voluptatis non nihil ab eo percipere solebat , sed proh dolor tenere non potuit , ocyus auolabat ac elabebatur illi è manibus. Iam verò istic libere dicit , Tenui eum nec dimittam. Dulce quidem est , & amorem merum spirans verbum illud: Surgam & circuibo ciuitatem , per vicos & plateas , quæram quem diligit anima mea. Delectabile verbum est , Faululum cum per-transissem , inueni quem diligit anima mea Delectabilius , Tenui eum. Omnia verò maximè delectabile beatissimumque verbū est , Non dimittam eum. Gaude nunc & exulta ô beata sponsa , quia eum quem diligit anima tua inuenisti & tenes , nec vnquam abs te dimittes. Filiæ Syon videntes te admiratæ sunt , & beatissimam prædicant , reginæ & concubinæ te collaudant dicentes : Quæ est ista quæ progreditur quasi aurora consurgens , pulchra vt luna , electa vt sol ? Quæ est ista quæ ascendit per desertū , deliciis

Cant.3.

Cant.3.

Cant.6.

Cant.8.

I. Cor.

6.

Gen. 2.

Col. 3.

Deut. 1.

affluens spiritualibus, innixa super dilectum suum? Innixa inquam, imò tota toti inhærens, in eo conquiescens, & ipse in ea. Nam qui adhæret Deo (teste Paulo) unus spiritus est cum eo. Tradunt periti amicorum esse unam animā in duobus corporibus, & (iuxta verbum Dei) per coniugium sunt duo in carnem unam: quantò magis in hoc spirituali coniugio Christi & animæ? Ad hæc si per intimam amoris copulam qua unum cor & unus animus efficiuntur, quidam deorum nomenclatura digni habitus sunt, quantò rectius Deus vocari poterit homo sic Deo inhærens, sic deo unitus? Profectò (iuxta Paulum) Deus illi est omnia in omnibus, imò quicquid ipius est, Deus totum est. Tunc demum dilectum suum ex toto corde, ex totis animæ viribus amat, quando quidem neminem, nisi Deum solum cogitat neminem, nisi Deum solum desiderat ac adamat. Deus illi est omnia in omnibus. Nā quemadmodum (vt à rebus corporalibus sumamus exempla) unica aquæ guttula dolio vini immisla, & saporem & colorem suum aqueum penitus amittit, nilque præter vinum gustatur aut cernitur, imò tota aquæ substantia vini formam induit. Aut quemadmodum aer radiis solaribus illustratus totus inmutatur, ac totus aliud videtur ab eo,

qui fu-

qui fuerat nocte præterlapsa, imo aer idem lux mera putatur. Aut quemadmodum candens ferrum non iam ferrum, sed ignis rutilans apparet: ita amans anima dilecto suo coniuncta, tota semel transformatur in Deum dilectum suum, Deusque ipsa videtur, non quidem mutata substantia, sed noua gloria assumpta, qualem ex parte in monte Thabor transfiguratus, ostendere dignatus est ipse sponsus, dum corpus suæ mortalitatis à gloria diuinitatis totum illustrari permiserit, sique corpus ipsum per translucentem animæ gloriam (quam aliis quidem temporibus cælauit) resplenduit sicut sol, vestimenta autem eius facta sunt candida sicut nix. Quemadmodum si candela fuerit extincta, cornea illa laternæ bractea tenebrosa manet: luce verò ardentis candelæ immisla, pellucida claraque protinus efficitur: ita amans anima luminis diuino coniuncta, lucida penitus ac nitida, vnumque cum Deo, Deusque vnum cum ipsa efficitur, adeò ut ingenuè dicere queat. Læua eius sub capite meo, & dextera illius amplexabitur me. Per leuam cui innititur, sponsi iam glorificata humanitas intelligitur. Quale enim sponsi corpus, tale & sponsæ corpus glorificatum erit. Nam quod in capite nostro factum constat, in membris quoque suis proculdubio per-

Mat.17.

Cant.2.

ficiendum est. In hac spe glorioſi corporis aſlumendi, reſurrec‐tioniſque futuræ ſingulariter anima requieſcit. Per dexteram verò amplexantem, ſponsi diuinitas, quæ totam circumſtrigit animam deſignatur. Præcipuum enim animæ gaudium in ſponsi diuinitate ſitum eſt, quæ veluti fluminis cuiusdam impetus totam circumlabitur & inuoluit animam. Papè quām grata, quām delicate, quām voluptuosa denique hæc erit amplexatio. Vah balbæ noſtræ incitiae, quæ nil inde loqui nouit, vah tarditati quæ non apprehendit. Quæ talis tamen tantaque eſt amplexatio, vt nullus eam oculus, vñquiam vi‐derit, nec auris audiuerit, nec in cor hominis ascenderit. Hic dies ille genialis eſt, quo gratiosa illa & amabilis Hester in regium thalamum perducitur, quo diademate regni capiti eius imposito, optimatibus omnibus regni ſui rex magnificum præparari conuiuium iuſſit, ob lætitiam ſcilicet nuptiarum ſuarum cum Hester, quarum gratia, illa quæ prius ſponsa, venusta, ſoror, columba, amica vocabatur, iam regina efficitur, coronam regni habens in capite ſuo. Corona ro‐tunda, lætitia eſt ſempiterna. Nec immere‐tò dicitur regina, quæ regi æterno per nuptias eſt copulata In die (inquit) coniunctio‐nis & nuptiarum Hester reginæ. O beatas

nuptias,

Pſal. 45.

I. Cor.

Eſa. 29.

Hester.

Cant. 2.

nuptias, ô eximiam coniunctionem Dei & animæ. Omnes ætherei principes latissima harum nuptiarum festa celebrabunt. In mente inquit Thebit, quod interpretatur bonitas vitæ, hoc est, sponsa vitam suam in virtutum bonitate consummante, è vestigio copulatur sponso Christo. In septimo autem anno regni sui hæc inquit festivitas agebatur. Per septimum annū, septima hominis ætas designatur, hoc est, post labores & ærūnas huius vitæ hinc decadente anima, tandem cum sponso requiescit ætate septima. Sex diebus Deus operabatur, septimo requieuit ab omni opere suo quod patraret. Sic sponsa variis hic tribulationibus, ærumnis & laboribus defatigata per sex ætates, septima tandem sabbatum agit delicatum, sponsoque suo coniuncta perpetuo cōquiescit.

Gen. J.

E P I L O G V S.

F Y A igitur nunc, ô amans anima, ô Christi sponsa, dilectum tuū desidera, quære, clama, obsecra. Primò quidem ut cor tuum amore suo vulneret. Secundò ut te amore suo inflammet. Tertiò ut te amore suo lāguidā efficiat. Quartò ut te amore suo inebriet. Quintò ut imiso tibi dulcissimo contemplationis sopore, in excessum mentis terapiat. Sextò

vt te

vt te præ deliciis ac desiderio liquefaciat.
Septimò vt te tandem sibiconiunctam, qui-
elcere nuptiasq; secum festiuas celebra-
re faciat. Amen,

PARÆNESIS ANTO- NII HEMERTII AD ANI- MAM CHRISTI SPONSAM.

Enunc appello, tibi dico ô ani-
ma Christiana, æterni patris filia,
& summi regis sponsa, vt in omni
afflictione ac tribulatione tua,
non alio quæ ad ipsum Dominum ac re-
demptorem tuum, pro tuis ipsius sceleribus
crucifixum configuias, huic quæ pateris om-
nia fideliter insinues, ab eo opem & solati-
um afflictionis tuæ quæras. Ecce nudus ante te, afflitus propter te pendet in cruce.
Manibus pedibusque affixis tuam conuersi-
onem prestolatur, brachiis extensis, vulne-
ribusque apertis te reuertentem in gratiam
suam recipere desiderat. Capite inclinato ad
suauissimum oris sui osculum te admittere,
omniaque peccata tua tibi ignoscere para-
tus est. Ad ipsum igitur intrepida accede, cru-
cem eius desideranter àmplexare, viriliter
tene, reuerenter osculare, humiliter coram
ipso prona in terram procumbe, non latum

vt a-

vt aiunt vnguem inde discede, donec quæ postulas merearis accipere. Vide vt in amarissima illa desolatione sua non matris consolationes, non amicorum patrocinia implorarit, sed ad patrem suum cœlestem conuersus, ipsi soli tribulationem & derelictionem suam conqueritur. Ita & tu si forte corporali quadam ægritudine, animique molestia premeris, si contumeliis & opprobriis incelleris, si ob paupertatem, ignobilitatem, imperitiam aut aliud quodlibet vitium ab hominibus contemneris, nequaquam propterea diffidas, aut mœrore pudoreue inordinato consumaris, sed ocyus ad Christi crucem conuolans, ibi cum Iesu sponso tuo, contempto, afflicto, iniuriis plurimis humiliato, secura quiesce, vltimaque ipsius verba studiose intentisque cordis auribus accipe. Attende inquam & vide quomodo sponsus tuus, non solum ab omnibus notis & amicis, verum etiam à patre suo cœlesti derelictus, misere cum eo expostulat dicens magna voce: Deus meus, Deus meus quare me dereliquisti? Hinc tu calamitatem propriam moderatius ferre discas. Etsi forte tu quoque à proximis despiciaris, ab amicis raro visiteris, patienter sustineas, nec ob leuē aliquam incommoditatem ad importunas querelas facilis prorumpas, sed derelictum,

calam.

calamitatibus & tormentis variis afflictum
in cruce Christum contemplata , huius po-
tissimum consolationem expertas , qui te in
omni afflictione & anxietate tua optimè re-
ficere , viriliter roborare , & spiritualiter il-
luminare potest. Hominum verò , amicorum
& creaturarum consolatiunculas ac illece-
bras auersata , mentem sursum ad supernam
patriam attolle. Deum ipsum patrem tibi ,
Christum fratrem , Mariam matrem , ange-
los , sanctos & omnes electos tibi propin-
quos atque cognatos existima. Ex hac tam
illustri prosapia oriunda , ô nobilissima ani-
ma , genus tuum ne despicias , nec alicuius
minas aut calumnias totac tantis ornata pa-
tronis expauescas : sed freta clementissimi
seruatoris tui misericordia , diem extremæ
vltionis expecta. O anima Deo deuota , quæ
spreto propter Christum omni solatio ter-
reno , cum Maria iuxta crucem Christi la-
chrymis madefacta , sanguine perfusa , &
amoris illius iaculo vulnerata consistis , suspi-
ce , & sponsum tuum in maxima miseria &
afflictione corā te pendentem intuere. De-
us ille optimus maximus ut facinorosissimus
omnium latronum occiditur , rex regum &
dominus dominantium. Iro pauperior in
extrema necessitate moritur , non in domo ,
sed in aprico folidoque loco : non in plu-

meo

meo lecto , abditoue cubiculo , sed palam
in durissimo crucis patibulo , non in medio
discipulorum , sed in medio duorum latro-
num , non inter brachia matris , sed inter
cornua crucis. Nudus pendet , irrisus , despe-
ctus ab omnibus. Crux ei lectus fuit ; corona
spinea ceruical , fel & acetum potus ei & re-
frigerium , socios habuit latrones , ministros
impiissimos milites . Calceamenta nunquam
portauit , sed horum loco durissimos clavos
in manibus , pedibusque accepit. Consola-
torem aut ministrum in tanta necessitate nul-
lum habuit , latronem irridentem patienter
tulit , pœnitenti paradisum promisit. Pen-
det inquam fortiter affixus , non manus , non
pedes mouere , non se ad aliud latus refrige-
randi gratia flectere potest. Solam linguam
ad loquendum liberam habet , vt pro inimi-
cis & crucifixoribus suis patrem cœlestē exo-
raret. At ô scelus indignum. Hæc eadem lin-
gua quæ tantæ dulcedinis & mansuetudinis
verba super inimicos effuderat , ne sola suo
careret cruciatu , sitiente Christo , felle & a-
ceto potata fuit. Stat rigidissime extensus
mansuetissimus agnus , vt omnia ipsius mem-
bra dinumerari possent , crudeliter tortus ,
angustiis vndeique adobratus , derelictus ab
omnibus , spretus ab omnibus , solus , sine
auxilio , sine solatio , à planta pedis usq; ad

verticem capit is totus in lacum afflictionis & miseriæ immersus, & clamore deniq; valido, patri suo cœlesti spiritum commendas emortuus.

Iam verò tu, ô anima Deo deuota, non solum quanta passus est sponsus tuus, verum etiam quare paſſus est reuoluas, nimirum ex sola flagrantissimaque erga te charitate, propter quam continere se non potuit, quin totum tibi amoris sui finum effunderet. Sacrosanctum pectus suum transfodi ac aperiri paſſus est, vt inibi tu habitares ac secura quiesceres. Perge itaque intrepida, & transi per latissimam hanc amoris portam ad cor ipsius charitate vulneratum, secure & fœliciter quietura in foramine petræ à mundi huius procelloso turbine. Ingredere in secretarium Dei, ingredere inquam ô dilecta Domini, domum Domini, cur foristas? apertus est tibi fons vitæ, via salutis, myrotheca cœlestis vnde promanant aromata multanimis. En patet tibi propiciatorium Dei contra iram futuri iudicij. Hic oleum diuinæ gratiæ abundanter effluit, & peccatoribus spem diuinæ misericordiæ propinare non desinit. Hic fons effluxus diuini emanans de medio paradisi ad irrigandam viuersam superficiem mundi, ad refocillandam sitim aridi cordis tui, ad abluenda sce-

Hie. 13.

Gen. 24.

Gen. 2.

lera

Esa. 32.

Pro. 23.

Col.3.

Iera reatus tui. Proinde ô dilecta hauri potū
 amoris de fonte saluatoris, exuge de Christi
 pectore solatia vitæ tuæ, vt viuas iam non
 in te sed in ipso qui vulneratus est propter
 te. Huic trade cor tuum, qui tibi tradidit su-
 um, huic tuum aperi, qui suum aperuit tibi.
 Ingredere in suauissimum pectus ipsius, vt
 ipse vicissim tuum intret. Ipse te inuitat, desiderans
 vñus tecum spiritus fieri, fili inquit
 præbē cor tuum mihi, nil aliud expeto. Si il-
 lud vnum donaueris, vniuersa donasti. Quo-
 tidiana igitur exercitatio tua sit Iesus spon-
 sus tuus, idemque cruci affixus. Hunc tibi
 semper præ oculis habe, pectori imprimē,
 cum ipso carni mundoque toti emovere,
 cum ipso hic sepelire, vt cum idem ipse vita
 tua manifestabitur in gloria, cum eodem
 item resurgas in æterna patria,

A M E N.

DIALOGVS INTER ÆTERNAM SAPIENTIAM Christum, & suum Cultorem.

CVLTOR.

DEVIMA quidem mihi de vita æ-
 ternâ dislerere soles benignissime
 Domine, quæ & lubenti animo
 accepi, & nunc porrò quæ omni-

G um com-

um compendiosissima sit via ad eandem vitam, adque te regem immortalem, edoceri cupio.

Sapientia aeterna.

Isthæc tibi nimis ardua erit via fili ut potestate quæ non solum enarratu difficultis, verum etiam longè difficilior sit ad ambulandum.

Cultor.

Attamen narra obsecro quæ sit. Nam si scirem, fortasse me ad iter accingerem.

Sapientia aeterna.

Proxima ad me adque vitam perpetuam perueniendi via, sunt duræ afflictiones, sine quibus immortalem consequi gloriam, sanctorum potuit nemo. Aut enim in corpore dura, aut in anima sunt perpeſsi. In corpore quidem dolores, morbos, famem, fitim, frigora, æstus, tormenta, linguas venenatas & id genus reliquas tribulationes externas: In anima vero diabolicas tentationes, ac malicioſas lœtaliū criminum suggestiones, cuiusmodi Christianus quisque verus Dei cultor, non solum operenon perpetrare, verum ne in animo quidem versare auderet.

Cultor.

Sihæc, ut afferis, proxima est via perueniendi

nisi ad vitam immortalem , quæ sola mihi sit transmeanda , non solum pertimesco verum etiam toto corpore contremisco , metuens ne tentationum immanitate superatus collabar , præsertim quum horrendas illas sanctorum omnium tribulationes attendo , quas illi tamen patienter tolerarunt , ac tentationes acerrimas quibus fortiter restiterunt , ut securi peruenirent ad gloriæ cœlestis palmam .

Sapientia æterna.

Quicunque spretis huius mundi fallacibus illecebris , fortiter me per ignem & aquam , per tribulationes & dolores fuerint insequuti , iisdem ipse quoque suppetias ferens , animum addo , & vires subministro , atque adeò manum meam suppono , ut quū ceciderint non collidantur .

Cultor.

Quid ergo mirum si & immobiliter persistant & celeriter proficiant ? Cæterum qui tandem sunt isti tui tam fidi amici quæso ut enarrès Domine ? Nam & me summo amore prosequi & tuorum amicorum albo asscriptum habere videris , sed sæpè me flagellas , ac rarissime tua præsentia frui permittis .

Sapientia æterna.

Raro quidem ad te venio fili , ut maiori
auiditate meā familiaritatē requiras. Quic-
quid enim cum labore conquiritur , charius
custoditur. Quod autem te inter̄ medios
amplexus desiderabūdum relinquens non-
nunquam aufugio , id eō factū noueris ,
nē in arrogātiā subleueris. Sed tandem
tamen me inueniri pēmitto , nē desperati-
one frangaris.

Cultor.

Non tām igni aqua , lux tenebris , quām
tū voluntati meae per omnia semper contra-
rius existis. Cæterum si aliquem fidum mihi
amicū nosles in cuius sinu hunc meum
dolorem nonnunquam effundere queam ,
haud dubium , quin melius mecum ageretur.

Sapientia eterna:

Quandiu alium præter me consolatorem
requiris , aridus , desolatus semper ac tristis
permanebis. Amaris enim suos mundus re-
mutierare solet.

Cultor.

Nescio profecto quid dicam. Verba tua
mihi dura ad audiendum , viæ tuæ ad ambu-
landum difficiles videntur.

Sapientia eterna:

Tibi quidem ignave ita videtur , qui cuti-
culam

culam curare, genioque semper indulgere appetis, qui correptiones & flagella exhortescis, ac ob preculas aliquot frigidè personatas, summum cœlorum regnum te promeritum censes, at electis meis amicis longè alia stat sententia.

Cultor.

Profectò nescio quo tibi pacto commode seruire queam. Ut ut enim vel quæcunq;
egero, omnia tibi protinus displicent. Miror
vel decimum quenq;
in tuo ministerio per-
seuerare posse, adeò intolerabile mihi vide-
tur iugum tuum.

Sapientia æterna.

Id tuæ potius carnis fragilitati imputandum, quod in tribus potissimum (si lubet) experiri licebit. Primò quia ad bona opera piger ac desidiosus es, hinc omnia tibi videantur difficultia. Secundò, quia ad mala propensus es ab adolescentia tua, idèò mores mei tibi videntur intolerabiles. Tertio quod intus impurus es in animo, quare sit ut virtus mea tibi vitiosa videatur, & viæ meæ quas amicos meos edoceo difficiles ac impeditæ. An me ignorare existimas quid te torqueat? Alios corripere gaudes, ipse omnis correptionis impatiens. Nam tua semper tibi rectissima videntur. Talia profectò neque sentiunt neque faciunt amici mei.

Cultor.

Nunc demum ingenue agnosco & confiteor Domine, te animum meum longè melius nosse, quam ego ipse noui, ut pote cui nullum latet secretum, qui perspicacissimis æternæ tuæ sapientiæ radiis virium mearum abditissima quæque acutissime perlustras. Vnde subterfugiendi viam nullam quæro, sed totum esse culpam meam verissime confiteor. O si iam in vasta aliqua solitudine agerem quantis lachrymis tempus amissum deplorarem. Nam quum meipsum penitus inþpicio, districtam iustitiæ tuæ seueritatem reueritus, oculos meos ad te leuare non audeo,

Sapientia æterna.

Ne desperes fili, resipiscentem te fuscire, pluraque tibi conferre paratus sum quām tu vel postulare ausis. Gratiam meam omniaque tibi necessaria vltrò tibi priusquam roges impartiar. Cui nisi per gratiam meam in tuis illis execrādis sceleribus pepercisse, tellus imatę viuentem videntemq; iam diu deglutisset. Verū tantus est meus erga te charitatis affectus, quo tibi adhuc pepercī, ac usq; adeò te complector ac si plures non essent mortales in terra, aut quasi ego tua solius causa mortem obiisse. Quid igitur

trepi-

trepidas ad me festinanter accedere? Misericordiae meæ sinus capacissimus amplissime tibi patet, tuam reuersionem magno cum desiderio expecto, paratus te suscipere & tu venire cunctaris? tuo amore captus immo ebris sum, & tu adhuc formidas?

Cultor.

Quo pacto tibi ô sapientia æterna pro hac tua in me benevolentia atque inexhausta misericordia dignas vñquam referre potero gratias?

Sapientia æterna.

Gratissimum mihi feceris fili, si mea causa te ipsum impollutum conserues, loca sola perquiras, verba inutilia caueas, honesta loquaris, iustus, humilis, patiens sis & quietus.

Cultor.

Si id per omnem ætatem perficere curassem, iam profectò possiderem quo nunc carere cogor miser, tanta etenim in creaturis ipsis obstatcula, tot remoras inuenio, ut unde prorepam aut unde primum exordiar, ignorem.

Sapientia æterna.

In aperta illa ac hiantia vulnera mea irreas, ibi mox doceberis, quid factò opus sit.

Cultor.

Atque id vnum me male habet, quod videam te amicis tuis præter meritum pluri-
mas semper tribulationes malaque immi-
tere. Nā diuitiis florentes mox Codro pau-
periores efficis, sanitate pollentes valetudi-
ne aduersa concutis, in amicorum turba con-
fidentes, subito charissimum quemque illis
aut per mortem subtrahis, aut in hostem a-
trocissimum conuerti permittis, nec satis
demirari possum, quo id pacto tu æquani-
miter sustinere queas.

Sapientia eterna.

Priusquam amici mei tribulationibus ca-
rerent, propriæ illorum virtutes citius ipsi-
n tribulationes conuerterentur. Plurima e-
nim illis patienda restat tam à mundo, quam
à diabolo, & carne propria. Et non nunquam
acutissimis sentibus salebris ac tribulis illorū
vias obstipare soleo, quo his remoris impe-
diti à me non profugiant, sed in obsequio
fidi permaneant, qui si nullis omnino tribu-
lationibus exercearentur, mei protinus obli-
ti, ad mundi illecebras reueterentur.

Cultor.

Eheu per quos anfractus quam diu aber-
raui demens. Putabam equidem ridendo,
lasciuendo, voluptatibus ac deliciis vacan-
do te inueniendum. At qui nunc demum in-
telligo

telligo non aliam esse propiorem rectiore-
que ad te viam , quam duras tribulationes
propter te patienter toleratas. Quadrupli-
ces autem esse tribulationes me quondam
audisse memini. Sunt enim meritæ tribulati-
ones , sunt immeritæ , sunt internæ , & ex-
ternæ.

Sapientia æterna.

Ah fili quid ais ? Immeritas vocas tribu-
lationes , quas tot tuis sceleribus vel in iles
commeruisti ? Nam & si peccata fortè tua
interdum confessus es , haud tamen omnia
confessus es , nec debitam de omnibus pœ-
nitentiam egisti , aut certè pleraque emen-
dere neglexisti , ac proinde commeritæ tri-
bulationes iure vocari debent.

Cultor.

Quid tibi respondeam ô æterna sapientia
patris non inuenio. Igitur rectissimum mihi
videtur , vt sub virga disciplinæ tuæ dorsum
meum incuruem , vt cædas atq; castiges quā-
diu quantumque tibi visum fuerit. Id tan-
tum peto , vt mihi veram in omnibus tribu-
lationibus patientiam largiri digneris , ne dolorum
tentationumue pondere victus suc-
cumbam , sed cum omnitentatione faciam
prouentum vt possim sustinere. Porrò de in-
ternis tribulationib; quid dicam clemen-

tissime Domine? Tantas subinde patior angustias in animo, vt vix ipse sciam quo me vertam. Inprimis autē pessime id me habet, quod tanta nonnunquam frigiditate cor meum congelatur, tantis tenebris inuoluitur, vt etiam si ex intimis præcordiis te velim diligere, haud tamen queam. Ad hæc & tanta ariditate intus contabelisco miser, ac si mei plane es oblitus. Quod tibi potissimum conqueror dilecte Domine, & cui id tutius conquerar quam tibi vnico parenti meo, vnico piarum mentiū præsidio? Tu etenim æterna es sapientia patris Christi Iesu, qui me ad imaginem & similitudinem tuam ex nihilo creasti, qui me apte culpa perditum tuo preciosissimo sanguine redemisti.

Sapientia æterna.

Ne despondeas animum fili. Si tu miser indigus & calamitosus es homuncio, ego contra sum ipsissima misericordia, ipsa opulentia, & summa beatitudo tua. Quando igitur totis viribus ad hoc incumbis, vt peccata tua multis lachrymis expies, nectamen potes, quando lubenter summoque conamine consuetis ac inueteratis vitiis tuis resistere studes, nec eadem tamen superare potes. Itidem quando bona tua egenis, lubens erogares, sed ipse summa inopia premeris,

in his

in his atque huiuscemodi tuam potius intentionem, quam opus ipsum attendo, quae si casta, sinceraque fuerit, digna te mercede remunerabo pro huius voluntatis beneplacito. Ego enim quemadmodum falli non potero, ita nec fallere quemquam volo.

Cultor.

Minimum absuit quin desperarem verum consolationes tuae iterum laetificauerunt animam meam. O aeterna Dei sapientia, speculum omnium creaturarum, ego miser peccator ante pedes tuae misericordiae prouolutus iaceo, hic nunc veluti tepidus in amore tuo, desiderans abs te scintillam vnicam tuae charitatis accipere qua accendar in amore tuo, desiderans lachrymam vnam quam pro peccatis meis effundam, & micam vnam tuae gratiae qua famelicam animam meam pascam & reficiam. Denique peto ut non sit in me vel ullum membrum, quin singulariter ad te affectum habeat.

Sapientia aeterna.

Si summam istam quam desideras gratiam percipere cupis, passionem meam studiose attendas: Ipsa enim regia est via, quam ocyssime ad veram diuinæ dilectionis dulcedinem peruenitur, quam quo amplius degustaueris, hoc cor tuum purgatius efficietur.

Cul-

Cultor.

Sed qua ratione scire potero quando purum erit cor meum?

Sapientia æterna.

Quum suavitatem quandam te habere persentis in cogitando, veritatem in verbis, iustitiam in operibus, Si verba, ociosa & scurrilia inuitus audias, opera scelerata totis viribus detesteris, delicata cibaria non appetas, passioni & morti meæ compatariis, cor tuum depuratum esse securè confidas. Porrò iuxta promissum meum, tunc ad te veniam, repleturus desideria tua superabundanti diuitiarum mearum copia,

Cultor.

Eia age igitur anima mea: Deus ignauis non opitulatur. Vires omnes neruosque extendas oportet, Mundum istum fallacem cum vniuersis illecebris suis fugias. Si peccatum illibatum purumque conseruare cupis, verbis ociosis, humanis societatibus, mundique voluptatibus vniuersis valedicas, sensus externos, & linguæ volubilitatem compescas, ad interiora tua conuertaris, sicque Iponsum tuum dilectissimum inseparabis.

Sapientia æterna.

Nunc demum viam rectam inuenisti fili,

si me

si me volueris sequi , perducam te ad cœlestem suavitatem degustandam , quæ profecto talis tantaquie erit , vt similem nec oculus vñquam viderit , nec auris audiuerit , nec in cor hominis ascenderit , quam preparauit Deus diligentibus ipsum . Tantus enim erit illius dulcor charitatis , vt omnia suauia , omnia delectabilia huius mundi , ad eundem collata , nihil sint : Ibi frueris opibus immensis sine defectu , ibi perfecta erit requies sine labore , vita sine morte : ibi fulgebunt iusti sicut sol in regno patris stii : impios etiam spiritus tanto supereminebis interuallo , quantò iam te excellunt , ac omnia & singula in diuina contemplatione cognosces .

Cultor.

O si mentem meam ac sensus in hæc bona dirigere queam . Nunc verò ad leues aliquas iniurias tolerandas , proh dolor nimis , impatiens existo .

Sapientia æterna.

Noui mentem tuam . Lubenter pauper essem sine defectu , patiens , sine tribulatione & dolore , humilis sine contemptu . Sed preium sine labore appetunt hypocritæ , qui insignem quandam humilitatem , patientiam ac mansuetudinem foris ostentant , quamdiu contrarium nil experiuntur , sed quum

ali-

aliquid aduersi oboritur, impatienter statim
obmurmurant, dicentes: Cur ista mihi po-
tiūs quam alteri patienda immittis? quid er-
gò præ aliis peccavi? cur hunc aut illum non
æque flagellas? an mei penitus obliuisceris?

Cultor.

Quid amplius dicam dilecte Domine?
Ipsa cordis mei penetralia acu quod aiunt
attigisti. Noui equidem tribulationum to-
lerantiam proximam ad te esse viam, sed ha-
ctenus imprudens contempsi, ac proinde
pro mea virili post hac patienter tolerare
studebo quæcunque mihi ferenda imposue-
ris, humilians me sub potenti manu tua, ade-
oque sub hominibus & creaturis vniuersis
propter te: Insuper & summam inde capia
voluptatem quod aliquis mihi præferatur.

Sapientia æterna.

Haud sufficit fili, si aliquem tibi præponi
patienter tolerare queas, sed si ipse ab om-
nibus contemptus & quo animo feras nec
obmurmures, ac aliorum fœlicitati ex ani-
mo congaudeas, reputans illos hoc honore
digniores te.

Cultor.

Plurimi passim inueniuntur, qui contem-
ptum ac paupertatem ferre coguntur inuiti,
quibus

quibus proinde sua calamitas meritoria non erit.

Sapientia æterna.

Ego fili tua causa è suminis honoribus in vilissimum contemptum descendit, è tranquillissima requie in durissimos labores ac tempestates, è suauissimis voluptatibus in extremam calamitatem. Cogita quomodo in ipso iuuentutis meæ flore vitam amisi, & quomodo meis cruciatibus & amarissima morte omne debitum tuum exolui.

Cultor.

Quoties hæc attente considero, viribus destituor, nam vitam meam tuo sanctissimo exemplo ex diametro contrariam inuenio.

Sapientia æterna.

Ego propter te in monte Oliuarum sudorem sanguineum emisi, ac intempesta noctis silentio compræhensus coram Anna & Caiphaturpissime illusus fui. Ego à Pilato iudice ob tua sclera cruci adiudicatus, tot ac tantis flagellis attritus fui, vt nullum esset in toto corpore meo membrum integrum atque illæsum. Mox illusus, consputus, spinis coronatus, alapis colaphisque cæsus, vestibus omnibus exutus, cruci tandem adfixus, adeoque in eadam extensus fui, vt o-

mnia

mnia ossa mea dimota , venæ diruptæ fuerint , nec membrum ullum suo loco maneret , viribusque omnibus ita exhaustus fui , ut nesciendum quidem ē terra tollere potuisse . Pendebam in cruce extensis brachiis , ore clamabundo , voce rauca , colore pallido miserabiliter sanè , quum tamen humiliter omnia tolerarem . Hæc cordi tuo imprime , ac vestigia mea insequere , mihi que compate re , sic vicissim tuis tribulationibus compatiar & ego .

Cultor.

Facilè quidem omnia tolerauerero quamdiu nullis grauioribus temptationibus exagittatus fuero .

Sapientia æterna.

Si temptationibus non exercearis quod meritum tibi erit ? aut unde coronabitur patientia tua ? An te putas citrā temptationis molestiam peruenturum , quo ego sine cruce & amarissima passione peruenire non potui ? & ego quidem Dominus omnium , tu seruus omnium vilissimus . Si tu igitur lusibus , vanitatibus , voluptatibus & aliis ineptiis intentus me solum sub crucis onere grauatū incedere permiseris , ac ne digitum quidem vnum ad me subleuandum extēdere digneris , id profectò intolerabilis tibi ignominia erit

erit coram angelis D E I ac hominibus vniuersis.

Cultor.

Doce igitur quomodo tibi quam commodissime seruire , crucemque tuam tecum ferre queam.

Sapientia æterna.

Si septem ista præcepta , brevia quidem illa , sed summè mihi grata seruaueris. Primo , vt teipso contempto omnium creaturarum obliuiscaris , peccata verò tua tantisper reuoluas , donec te ex animo peccasse pœniteat. Secundò , vt passionē & mortem , quam propter te sustinui , sèpius mediteris : donec tu quoque similem omnium afflictionum tolerātiā propter me appræhendas. Tertiò , vt electorum gloriam vitamque perpetuam tantisper mediteris , donec et huius vitæ pertædeat. Quartò , vt sanctorum vitam recogites , donec mores tuos secundumvitæ illorum normam dirigas. Quintò , sacram scripturam atque præcepta mea ceu speculum præ oculis semper habeas , vt his admonitus , temptationibus vniuersis facilius resistas. Sextò , mortem tuam subinde cogites , vt eandem semper præparatus expectes. Septimò , misericordiam meam inexhaustā esse cogites , ne pusillanimis effectu desperes

Cultor.

Largire mihi gratiam tuam misericordissime Domine, ut hæc præcepta tua perfice-re possim, sine quo nihil omnino possum. Benedictus, laudabilis, & gloriosus sis in sæcula Domine, qui hæc me docere, consolari, & exhortari dignatus es. AMEN.

NE VACARENT PAGINÆ ALIQUOT, ADIECI-

mus orationem Sancti Ambrosij,
de singulis articulis passionis
Dominii.

Et sub finem, Testamentum quotidianum hominibus Christiani.

ORATIO.

Domine Iesu Christe Fili Dei Viui: Creator & resuscitator generis humani, gratias tibi referimus licet indignas: sed vtinam deuotas & tibi gratas, quia pro nobis miserrimus de cœlo descendisti, & ex beatissima Virgine Maria carnem assumpsisti, de ipsa quoq; nasci voluisti, pannis fuisti inuolatus, in præsepio positus, vberibus lactatus, carne circuncisus Magis manifestatus, & ab ipsis adoratus, in

tem-

templum præsentatus, in Ægyptum relegatus, ad patriam reuersus, parentibus subditus, à Ioanne Baptizatus, ieunio quaterdeno attenuatus, terà dæmone tentatus, itineribus fatigatus, vigilijs, fame & siti maceratus, prædicando laßlatus, compatiendo lachrymatus, & à Iudæis reprobatus, sæpius ab eisdem iniuriatus. Instante vero passione tua voluisti contristari & mœstus esse, ut verus homo, pauere simul & tædere, positis genibus orando ter in faciem procidere, factus in agonia guttas emittere sanguinis præ sudore, à Juda deniq; fuisti traditus, & ab ipso fraudulenter osculatus, ab impijs Iudæis cum impetu comprehensus, vinculis quasi latro ligatus, solus profecto derelictus discipulis metu fugientibus, ad pontificem Annam ductus; ibidem alapa percussus, missus ab ipso ad Caypham vincitus, & ibidem multiplicititer deritus: In consilio Iudæorum statutus per falsos testes accusatus, morte turpissima condemnatus, sputis facie contaminatus, opprobriis lacepsitus, contumelijs affetus, colaphis cæsus, palmis iterum percussus, multis modis blasphematus, vincitus, Pilato traditus, ad mortem instanter accusatus, Herodi à Pilato missus, ibi nihilominus criminatus, ab Herode & exercitu eius spretus, et indutus alba veste ad Pilatum remis-

fus, nudus ad columnam iuſſu Pilati ligatus :
vſq; ad ſanguinem acriter flagellatus, ab eo-
dem morti adiudicatus, ad crucifigendum
militibus traditus : à quibus iterum exutus,
veſte purpurea induitus, coronatus, arundi-
ne pro ſcepto insignitus, genu flexo ſaluta-
tus, irridenter rex Iudeorū nominatus, ter-
tio alapis cæſus, iterum facie conſputus, a-
rundine capite percusſus, veſte purpurea e-
xutus, ligno crucis oneratus, ad paſſionis
locum adduētus, ibi myrrato vino cum
felle potatus, veſtibus proprijs tertio exu-
tus, in cruce demum extenſus, clavis manus
& pedes confixus, & ſic inter latrones cruci-
fixus, & cum ſceleratis deputatus, à prætere-
untibus quoq; & aſtantibus pendens in cru-
ce crudeliter blaſphematus, clamans : Deus
meus, Deus meus vt quid dereliquisti me.
Tandem ſitiens acetō potatus, inclinato ca-
pite mortuus, à milite lancea latere perfora-
tus : vnde exiuit Sanguis & aqua. Sero de
cruce depoſitus, in monumento à Iofeph ſe-
pultus. Reſurgens tertia die tuis apparuisti,
quadragesimo die cœlos ascendisti, ſedens
ad dexteram Patris promiſum Paracletum
diſcipulis miſisti : Demum ad iudicium ven-
turus, ſingulis pro meritis bonum vel ma-
lum es redditurus. Tu Domine Iefu Chri-
ſte per has ſanctiſſimas poenas tuas, & per

mor-

mortem tuam preciosissimam, & per preciosissimum sanguinem tuum pro nobis effusum, atq; per omnia alia hic de te prædicta: per tuam quoq; ineffabilem misericordiam, ac etiam per preces & merita beatissimæ semper Virginis Mariæ & omnium sanctorum tuorum, me folidum peccatorem N. & omnes parentes meos, fratres & sorores, amicos & inimicos meos, & omnes pauperes, tentatos, & desolatos, vincitos & infirmos, & omnes pro quibus orare teneor atq; omnem populum Christianum à tribulatiōnibus & angustijs eripe, à diaboli laqueis & à peccatorum vinculis, atq; ab omni malo animæ & corporis nos libera & salua: & ab his nos semper protege. Omnes cogitationes & actiones nostras taliter, ut sint acceptabiles tibi, semper dispone. Tua gratia ac sancta pace atq; omni virtute nos reple, & in his vñq; ad mortem nos perseverare tribue, bonum finem vitæ nostræ nobis concede: & nos prænominatos viuos post mortem, ac eos iam mortuos & omnes fideles defunctos ab omnibus pœnis redime. Et ad cœlestis regni gloriam sempiternam nos omnes fac misericorditer peruenire. Qui cum Deo Patre & Spiritu Sancto viuis ac regnas Deus per omnia sæcula sæculorum, Amen.

TESTAMENTVM
HOMINIS CHRISTIANI,
QVOLIBET DIE CORAM DEO
DICENDVM,

Translatum ex libello Polo-
nico , cui titulus est, Æco-
nomia spiritualis.

Domine I e s v Christe , creator &
redemptor meus , confiteor ego
coram te Domino meo , toto cor-
de ac ore meo , vti vides , simplici ,
& candido , protestorque apud te , cui nihil
occultum est , me fidem Catholicam , quam
docet Romana Ecclesia tua sancta , tenere
constantissimè , & ab ea nolle deficere in per-
petuum . Quod si (absit hoc ô D e v s , per
misericordiam tuam te rogo) subita mors ,
aut repentinus aliquis casus , vel ingruens
aliqua tentatio aduersarii , aut erronea ma-
lignaque cogitatio mihi mentem præocu-
pauerit , siue deliquum rationi iniecerit , si-
mulque fides hæc salutaris detrimentum a-
liquod se pati persenserit : tu misericordiarū
Pater vnicè dispones interea de creatura
tua , & dexteram tuam cadenti suppones ,

ne col-


ne collidatur in æternum. Recordaberis ô
Domine tunc istius orationis meæ, quam in
conspictu tuo nunc effundo, & confessio-
nis meæ, quam nunc facio, & misereberis ô
saluator animarum.


P rotestoretiā coram te ô sanctissima Vir-
go M A R I A , Patrona mea singularis, &
coram exercitib Angelorum, sanctorumq;
& sanctarum omnium cohortibus, me vel-
le in eadem sanctosancta fide & Ecclesia, &
sinu matris illius Catholicæ, & omnium
credentium parentis animam meam depo-
nere. Ago insuper pœnitentiam, pro vni-
uersis peccatis præteritis: & pœnitere satis-
facereque cupio, dum vita superstes erit
semper. Et humiliter postulo, vt cū ego pœ-
nitentiam præsentem, & confessionem fi-
dei facio, si mors interea reiterationi, &
emendationi obicem imposuerit, vt tu ô
Deus misericors, secundum multitudinem
miserationum tuarum, & pretium incom-
parabile redemptionis nostræ, me miserum
pro tuo agnoscere nec relinquere, sed sal-
uare velis per misericordiam tuam, cu-
ius non est finis Amen.

• 55 •



8414
4





OPRAWĘ WYKONANO
w prac. introl.-konserwat.
Biblioteki „Ossolineum”
Data 29.9.1962 podpis Kowalczyk

